

DE  
**CONRADI, DUCIS MASOVIAE**

ATQUE  
**ORDINIS CRUCIFERORUM**  
PRIMA MUTUAQUE CONDITIONE.

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS HISTORICA

QUAM  
**SENSU ET AUCTORITATE**  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN  
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRANA

AD  
**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE CAPESSENDOS  
DIE XIX. M. DECEMBRIS A. MDCCCLVII.

H. L. Q. C.

PUBLICICE DEFENDET

CONTRA AMICOS DOCTISSIMOS

**J. BUKOWIECKI, H. RZEPNICKI, K. UNRUG**

AUCTOR

JOANNES NEPOMUCENUS ROMANOWSKI,  
POLONUS.

**POSNANIAE.**

IMPRESSUM IN OFFICINA M. ZOERNIL

MDCCCLVII. *k*

101906

Wypożycza się  
tylko do czytelní

*De Comiti, duobus Masoriæ  
atque ordinis Cruciferorum  
prima mutuaque conditio.*

457 245

Vlt 668 223



*26.2*

*29/*

109 - W. A.

3

Wm<sup>na</sup> Tann J. Lukaszewiczowi

autor.

DE  
CONRADI, DUCIS MASOVIAE  
ATQUE  
**ORDINIS CRUCIFERORUM**  
PRIMA MUTUAQUE CONDITIONE.

DISSERTATIO  
INAUGURALIS HISTORICA  
QUAM  
**CONSENSU ET AUCTORITATE**  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN  
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRANA

AD  
**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. M. DECEMBRIS A. MDCCCLVII.

H. L. Q. C.

PUBLICICE DEFENDET

CONTRA AMICOS DOCTISSIMOS

**J. BUKOWIECKI, H. RZEPNICKI, K. UNRUG**

AUCTOR

JOANNES NEPOMUCENUS ROMANOWSKI,  
POLONUS.

**POSNANIAE.**

IMPRESSUM IN OFFICINA M. ZOERNIL.

MDCCCLVII.



VIRO  
ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, CELEBERRIMO

**RICHARDO ROEPELLIO,**

PHILOSOPHIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN LITTERARUM  
UNIVERSITATE VRATISLAVIENSI.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO,  
DE HISTORIA POLONICA QUAM OPTIME MERITO;

NEC NON

VIRI

INSTITUTIONE ACADEMIAE CAESARIS

RICHARDO HUPPELLO

PHILOSOPHO DOCTORI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA

CAESARIS AUSTRIACAE

ET ACADEMIAE VIENNAE

DE PECTORA PRAESENTIAE CLAUSTRALIS

CARISSIMO AMICO

JULIANO DROGOSLAW BUKOWIECKI,

FAUTORI SUO LONGE NOBILISSIMO,

OPUSCULUM HOC  
PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

## PRAEFATIO.

Dissertationem jam scriptam habueram, cum Watterichii liber „Die Gruendung des Ordenstaates in Preussen“ inscriptus in lucem prodiit. Nihilominus opusculum meum aliter instituere nolui, cum per valetudinem cogerer, ut per aestatem Vratislavia decederem.

Atque hac de causa post tres menses demum a viro, qui optima semper mihi cupivit, permotus sum, ut Watterichii librum inspicerem. — Quamquam opusculi mei fines non promovi, accessit tamen, libro illo collato, ad nostram dissertationem tota particula prima et omnes loci, qui in dissertatione ipsa dispersi, asteriscis (\*) a me sunt signati. — Unicuique locum, quem ut mutarem impulsus fui, cruce (†) signavi. Viam autem et rationem argumentandi meam non mutavi.

Dabam Vratislaviae, die S. Pantaleonis Martyris, anno Domini MDCCCLVII.

## ERRATA.

Pag. 12. versus 14. pro mutatis,

lege: mutato.

• 12.	• 15.	• status,	• statu.
• 20.	• 18.	• effecerat,	• affecerat.
• 21.	• 15.	• ante apermiserat,	• antea permiserat.
• 26.	• 26.	• Ansprache,	• Ansprueche.
• 68.	• 4.	• bullarumque privilegiorum,	• bullarum privilegiorumque.
• 68.	• 9.	• proposita,	• ut proposita.
• 70.	• 18.	• sesu,	• censu.

## PARTICULA PRIMA.

*De fide Christiana in Prussia disseminanda et de Christiano, Prussiae episcopo primo.*

**K**rzywoustii posteri, cum in imperio Boleslavorum suas quisque res sequerentur, neque ullam in agendo unanimi-  
tatem servarent, quominus se validos praestarent contra vi-  
cinos, impediabantur. Ecclesia sola Casimiro Justo et Lesco  
Albo regnantibus, et ritum Graecum Halicziae conditum  
in Romanum convertendum studere non desiit et continuo  
operam dedit, ut etiam Slavo-Leticas gentes communi  
ecclesiae Romanae subjungeret. Atque hic quoque, ut fieri  
solebat, ecclesiastici ordines, et onus et pericula fidei  
Christianae propagandae susceperunt, inter quos Bernhar-  
dinorum, Cisterciencium ordo mirum quantum exellebat.  
Quorum in Polonia sedes antiquissimae, Andrejovia vel  
Brzeźnica et Lenda, diocesis Cracoviensi et Gnesnensi  
adscriptae prodero videntur, conditores apostolicis ordinis  
studiis, hanc viam: *orientem hibernum et aquilonem* versus,  
commendare voluisse. Quam propitiis autem animis<sup>1)</sup> quan-

<sup>1)</sup> Cf. Damalewiczii: Series Archiepiscoporum Gnesnensium. Varsoviae  
1649. Fundationis documentum claustrum *Andrzejowiensis* p. 97—99.; cf. quae  
de vocatione et dotatione dieat episcoporum Joannis et Mauri p. 99. s. a.

toque studio et aestimatione ii, qui miseris fratribus sancta Dei verba retulerunt, sint accepti a principibus, episcopis, proceribus Polonicis, optime et clarissime donationes largae et sedium numerus declarant. Praefecti quoque Pommeraniae orientalis, quorum potestas in dies augebatur, imitati principes Polonicos Cisterciensium ordinem, Olivae anno 1170. conditum, magnis donaverunt muneribus.<sup>2)</sup> Neque tamen de apostolicis eorum laboribus saeculi duodecimi, quos sine dubio subierant, historia quidquam nobis tradidit, atque maxime dubitandum, an propter bella atrocissima, quae inter Polonos et Prutenos exeunte saeculo duodecimo gerebantur,<sup>3)</sup> laetos habuerint successus. Ineunte demum saeculo tertio decimo vestigia quaedam ejusmodi laborum inveniuntur, et nomina Gottfridi abbatis Vongroviensis et fratris cujusdam Philippi citantur.<sup>4)</sup> Quae expeditio ad infideles facta Philippi morte finita est. Nihilominus tamen animosi monachi deterriti sunt, quominus novas expeditiones suscipere, et non multum post, Christianum, Cisterciensem Olivae degentem, cum Philippo et aliis quibusdam ad infideles se contulisse memoriae proditum habemus. — Quos Deus optimus maximus adjuvit in laboribus susceptis,

1140 et 1153. Foundationis documentum claustrum *Landensis* p. 91—93. a.

1145. Foundationis documentum claustrum *Lucnensis seu Wongrowiensiensis* p. 103—105. a. 1153.

<sup>2)</sup> Cf. Damalevicius: Vitae episcoporum Vladislav. p. 133. sqq.; — Ledebur: Neues Archiv fuer die preuss. Geschichte II, 193. sqq.

<sup>3)</sup> Cf. Damal. I. c. 127. sqq.

<sup>4)</sup> Prorsus non intelligimus, cur quae chron. Alberici refert rejiciamus, praesertim cum hoc potissimum tempore in documento, quod postea magni erit momenti, Cisterciensis, cui Boguphalo („monacho de Lecna“) nomen est, appellatur. (Damal. Series archiep. Gnesn. 102.) Philippus enim quidam et cum Gottfrido et cum Christiano in Prussiam ire potuit.

nam baptizaverunt nonnullos proceres multosque alios illarum regionum incolas. Quo facto, Romam sunt profecti, laetum papae nuntium perlaturi. Innocentius autem novi gregis postores ipsumque gregem interim commendavit episcopi Gnesnensis Metropolitae curae eique mandavit, ut suffraganos, praelatos, proceres impelleret ad salutem ecclesiae orientis tuendam.<sup>5)</sup> Roma reversi ordinis fratres, quamquam infestabantur ab ordinis sui sociis,<sup>6)</sup> inchoato jam operi navarunt operam et tam prospere omnia sub tutela procedebant metropolitae Gnesnensis, dignitate atque potestate apostolici legati<sup>7)</sup> praediti, ut Christianus, exeunte anno 1212. episcopus Prussiae declarari posset.<sup>8)</sup>

<sup>5)</sup> Cf. Watterichii Urkunde 1. Quemadmodum bulla haec sit intelligenda, mox docebitur, unde Watterichii conclusiones factae pag. 10—11. falsae apparebunt.

<sup>6)</sup> Ibid. Urk. 2.

<sup>7)</sup> Papa Honorius III. ipse haec in litteris a. d. V. Idus Majas pontificatus a. III. (die 11. Maji 1219) dicit: „cum tibi *olim pro novella plantatione* in Prussiae partibus fidei Christianae legationis fuerit officium ab apostolica sede commissum.“ Quae res non evanuit e memoria scriptorum Polonicorum cf. Damal. Series. p. 125.

<sup>8)</sup> In Voigtii Cod. dipl. Pr. I. documento VII. episcopus et abbas anno 1212 appellatus est. Watterichius in annot. 16. Christianum ante annum 1213 episcopum esse non potuisse existimat, cum papa Innocentius quinto decimo pontificatus sui anno eum, Christianum nullo alio verbo addito, nominet. Innocentii autem, cum *ineunte* anno 1198 creatus sit, munusque suum eodem anno susceperit, quintus decimus pontificatus annus est 1212. Die X. mensis Augusti papa nondum certior factus esse videtur, Christianum jam esse episcopum factum, si quidem antea inauguratus est; neque scire potuit, episcopum illum appellatum iri, si Christianus post X. diem Augusti inauguratus est. Hac de re satis edocemur documento quod jam supra est memoratum. (Damal. l. c.) Vladislavus Odonis loquitur haec: „et quod idem capitulum post mortem fratris Boguphali monachi de Lecna praefati eandem ecclesiam cum pertinentiis suis omnibus praedictis, religioso Dno.

Fidei Christianae inter infideles disseminandae ejusque confirmandae obstacula, quamquam a cognatis gentibus fides Christiana iis offerebatur, inde tam multa sese obtulerunt, quod cum ecclesia fidem mutare studeret, principes simul vicini vitae quoque statum gentium ad Christianam perducendarum fidem, mutare contendebant. Quae rerum mutationes *ut alibi* et hic quoque non sine armis factae esse videntur, id quod defectionem ab ecclesia, quae post facta est, adduxit. Quocirca verisimile est Conradi, Masoviae ducis juvenis, honoris cupidi atque admodum inconstantis, duces, una cum fide Christiana propaganda, fines quoque imperii domini sui protulisse. Quae res — quod omnes nostrates referunt — optime successit, dum Christianus „magnum Masoviae palatinus“ imperiti ducis tutor vivebat et manu sua ferrea in unoquoque proelio Prutenos devincebat. Invidia vero atque machinationibus Joannis, postea ducis cancellarii, dux commotus est, ut Christianum e medio tollendum curaret. Unde venit ut terrae Masovienses in summam miseriam<sup>9)</sup> perducerentur.

Ad quem tamen miserum statum priusquam animum nostrum convertamus, pauca de novo Prussiae tradamus

patri, Christiano epo. Prussiae, monacho Cisterciensis ordinis, ad tempus vitae suae contulit tenendam, et possidendam pro subvntione terrae suae.“ — Intelligitur autem, adhortationem a papa Cisterciensium capitulo generali datam non inane fuisse. Christianus vero, cum bona hujus claustris possederit, potuit fieri, ut (Voigt Cod. I. Nr. VII.) abbas appellaretur. Inauguratio Christiani Gnesnae aut alibi in provincia Gnesnensi fieri potuit, quae de re iter Romam anno 1215 factum, ut dicunt, non videtur necessarium fuisse. Ex sententia Watterichii ab anno 1209 ad annum 1215 Christianus ter fuit Romae. Itineris scilicet labores et molestiae iis temporibus erant leviores, quam nostris, neque Christianus quidquam habuit in novo suo grege agendum, ut ei tempus in itinera facienda impendere liceret.

<sup>9)</sup> Cf. Długosz (ed. Francofurti 1711) lib. VI. p. 620 — 22. sub a. 1217.

episcopo. Post diem X. Augusti anni 1212. ab Henrico Kietlicio, legato apostolico, Prussiae episcopus inauguratus<sup>10)</sup> absque dubio statim largum donum in regione Calisiensi a Vladislao Odonis, Calisiae duce et in Conina regione Lenzyensique a capitulo generali Cisterciensium accepit.<sup>11)</sup> Paganorum interim doctores semper plures ad Christianam fidem converterunt, et novus episcopus benignos saepe sibi amicos ex illis paravit, ut Varpoda et Savabuno anno 1215. Christiani facti, ei et ejus posteris nonnulla bona tribuerent.<sup>12)</sup> Hinc vero ad annum 1222 querelae de misero Christianorum statu effunduntur et de Paganorum impietate, quibus

<sup>10)</sup> Bonae notae documenta de uno Christiani itinere Romam suscepto loquuntur, affirmantque tum Christianum non fuisse episcopum declaratum. Est igitur admodum probabile, ab archiepiscopo Gnesnensi, qui legatus idem est, Christianum esse inauguratum.

<sup>11)</sup> Ducis donatio sub anno 1212 memoratur; in qua donatione Christianus abbas est appellatus, qua ex re sequitur, ut Cisterciensium donatio antea sit facta. Quod Watterichius Vladislai, Calisiae ducis, donationem anno 1217 factam esse censet, minime hoc est verisimile, cum Vladislaus eodem anno Calisia per *Henricum Barbatum* privatus est. (Silesiac. rer. scriptores Sommerbergii II., Boguphal. p. 57. — Anonym. Archid. Gnesn. brevior. Chron. p. 91. — Sed cf. de his rebus Roepellius Gesch. Pol. I. 422 — 23.

<sup>12)</sup> Mira sunt, quae ex bullis d. XVIII. Februarii anni 1215 Watterichius intellexisse sibi videtur. Ad fidem Christianam modo perducti homines, qui Christiano principales donant possessiones a papa appellantur simpliciter: „dilecti filii“ ne „nobiles“ quidem, ne dicam „duces“. Terra igitur „Luboviae“ et „de Lansania“ quas papae „dilecti filii“ Christiano cesserunt, mediocres videntur esse possessiones. — „Quid tum valere potuit (Lansania) Christiano?“ dicit auctor in not. 17. Nos contra interrogamus, num Christiano nihil potuit offerri, quam quod maximi momenti ei esset? — Ceterum sententia ad not. 15. pertinens, quae in textu legitur probari non potest si donationis nonis Augusti (die 5. Augusti) 1222 factae memineris.

querelis papa eos praecipue Christianos, (sed non universos, quod infra ostendetur) qui provincias ecclesiasticas propius jacentes tenebant, ad auxilium oppressis ferendum permoveere voluit. Omnes illas bullas, quarum unaquaeque iisdem fere verbis est composita, hic pertractare minus opus esse videtur. Quapropter eas tantum commemorabimus, ex quibus appareat, quemadmodum episcopatus Prussici et episcopi status commutatus sit. Quas bullas cum in novum et quantum mihi quidem videtur, mirandum modum auctor libri, „Gruendung des Ordensstaates etc.“ inscripti, intelligeret, minus rectas conclusiones fecit.

Jam vero magni sunt momenti duae imprimis bullae anni 1217, quarum altera mense Martio Christiano, altera Aprili metropolitanae Gnesnensi, cui ut jam monuimus, apostolici legati potestas attributa erat, missae sunt. In illa Honorius III. permittit Christiano, ut in vicinis<sup>13)</sup> ducatibus eos, qui in Palaestinam ire nolint<sup>14)</sup>, cruce afficiat ad auxilium iis ferendum, qui recentes facti sunt Christiani. Ex hac autem bulla metropolitanae missa<sup>15)</sup> intelligimus, principes Polonicos et episcopos papam adiisse, ut archiepiscopo,

<sup>13)</sup> Prussiae affines terrae sunt, de quibus etiam in bulla archiepiscopo missa mentio fit, Conradi Masoviensis ducatus, Masovia et Cujavia, atque possessiones principum Pommeranorum. Watterichii igitur not. 18. et sententia quae in ipsa explicatur tantum abest, ut recta sit, ut veritatem laedat.

<sup>14)</sup> Fit igitur sermo non de omnibus.

<sup>15)</sup> Quam perverse cum sit interpretatus Watterichius etiam quae inde sequi censet, falsa sunt. Cf. ejus regist. p. 188. et text. p. 16. sqq. Subsecive memoro etiam illa, quae in regist. p. 189. et 190 de bullis in Voigtii Cod. I. sub No. 3. et No. 12. exhibitis proferuntur, prorsus esse falsa. Alias bullas non comparavi. Watterichius confusus Voigtii verbis erravit. Bullae praeterea sub No. 12. exhibitae in registris dies non recte est constitutus.

praesertim cum aegrotaret, in Palestinam non proficisci concederet, nihilominus tamen ei licitum esset omnes cruce-  
signatos in *tres* annos retinere, quibuscum paganos Prussi-  
cos invaderet. Quamvis papae — eo enim modo bulla pa-  
palis progreditur — Terra sancta maximae sit curae, con-  
scientiae tamen archiepiscopi se concedere, ut dijudicet, num  
per valetudinem labores expeditionis in Palaestinam suscep-  
tae subire nequeat, et permittere, si res ita se habeat, ut  
*aegrotos et pauperes* — sani enim et divites in Palaestinam  
debent proficisci<sup>16)</sup> — totius provinciae retineat, quibus-  
cum contra Prussos pugnet. Quod vero permittere velit,  
ut cruce-signati utriusque ducatus affinis *omnes* ab expedi-  
tione Hierosolymam facienda liberentur, concessionem tamen  
omnes iis attribuat easdem, quas qui in Palaestinam pro-  
fecti sint cruce-signati accipiant, eosque tantum ad bellum  
contra Prussos impellat: haec se archiepiscopi iudicio re-  
linquere.<sup>17)</sup> Ne vero quisquam fines eorum, qui ad fidem  
Christianam transierint, cum exercitu invadere velit, fieri  
non potuit quin sibi iram divinam et papalem contraheret,  
nisi nutu ac voluntate Prussici episcopi faceret.<sup>18)</sup> Ut hanc

<sup>16)</sup> Locus bullae, qui conferendus est: „vel qui ad hoc idonei vide-  
bantur ad ejusdem succursum cum ad id se voto astrixerant profecturis“  
quamquam sine dubio est corruptus, docet tamen, de qua re agatur.

<sup>17)</sup> „Ad haec quia demum fuit nobis instantissime supplicatum ut  
*omnes* cruce-signatos *saltem duorum Ducatum Poloniae, qui sunt magis vi-  
cini paganis* a voto Jerosolimitanae peregrinationis absolvere dignaremur  
.....id tuae providentiae duximus relinquendum.“

<sup>18)</sup> Ex ultima sententia Watterichius censet, papam Prussiae episcopo  
regiam terrae Prussiae potestatem concessisse. Sed nihil aliud inde appa-  
ret, nisi recentes Christianos a papa quam maxime cultos fuisse, quos  
liberatos voluit a molestiis sustentandi totius cruce-signatorum exercitus.  
Watterichium ad errorem perduxisse videtur id, quod nisi episcopo non

bullam et quae apud Watterich. No. 1. et 3. leguntur, recte intelligamus, oblivisci non debemus, in quavis expeditione sacra, vel a potentissimis suscepta principibus, summam rerum penes papam fuisse, qui sui loco legatum quendam cum exercitu mittebat, sine cuius voluntate nulla res geri poterat.<sup>19)</sup> Multo magis necessarium erat, quam in Terra Sacra vel in Francia australi, quo imperatores et reges potentes magnas susceperunt expeditiones, ut sua ipse manu papa sacras contra Prutenos expeditiones regeret. Duces enim, qui in provincia metropolitanae Gnesnensis erant, illis praecipue temporibus, omnes fere erant principes juvenes, non admodum potentes, arrogantes tamen famaeque nimis studiosi, inter quos summus dux ex ipsorum electus numero vix convenisset. Se enim quisque creatum voluisset. Archiepiscopus summus debebat esse dux,<sup>20)</sup> qui si forte

erat licitum permittere, ut in fines in Christianos rēcens receptorum, vel quod idem est, suae dioecesis, exercitus intraret. Sed mirum est, Watterichium ignorare, episcopi voluntatem in dioecesi sua nemini fuisse obnoxiam, nisi papae. (Cf. e. g. Długosz lib. XI. p. 605—609. qui Sbigneum Oleśnickium, episcopum Cracoviensem, partem dioecesis suae interdictione affecisse refert, contra voluntatem Alberti Jastrzembieci archiepiscopi Gnesn., Joannis Szafranieci, Vladislaviensis; Stanislai Ciołekii, Posnaniensis et Joannis (de Opatowiec) Chelmensis episcoporum. Cf. etiam „Zbigniew Oleśnicki przez autora dzieła „Piotr Skarga““ T. I. p. 370. seqq.) Propterea archiepiscopo etiam non licuit concedere, ut erucesignati novae dioecesis fines intrarent.

<sup>19)</sup> Cf. Raynaldi Annales ecclesiast. sub anno 1198 No. 84; sub a. 1203 Nr. 3.; — 1208 Nr. 20; — 1217 Nr. 52. et imprimis Nr. 55.; — 1226 Nr. 32, 33, 35, ubi leguntur haec: „dilectum nostrum R.... s. angeli diaconum Cardinalem *de nostro latere* mitteremus, cum ad Romanam ecclesiam specialiter pertinet hoc negotium, pro eo quod magistra est ipsa fidei, cuius excidium.... non est.... sustinendum.“ Cf. sub anno 1228 Nr. 22. et 23. cet.

<sup>20)</sup> Quod duces quoque illi voluerunt, cum papam rogarent: „dare ni-

non idoneus ad tale fuit munus, licuit ei constituere, cui principes reliqui cruce signati obsequium deberent.

Num vero duces provinciae Gnesnensis et fideles antea expeditionem in Prussiam susceperunt, quam archiepiscopus Gnesnensis se munere apostolici legati abdicaverit, difficile est dictu. Hoc tamen procul est ab omni dubitatione, nisi forte bullae papales animi causa scriptae sunt, totum Prussiae ad fidem Christianam convertendae laborem usque ad XI. diem Maji anni 1219 Henrico Kietliczio archiepiscopo fuisse commissum. Bulla postridie emissa (Acta Bor. I. 265.) summam rerum in convertendis Prussis Christiano, Prussiae episcopo tradit. Quam bullam Watterichius anno 1218 tribuit et bullae diei XVI. Maji anni 1218 (cf. Voigt Cod. Pr. I. Nr. 6.) antecedere fortasse eadem de causa censet, quae nos illam sequi existimamus. Inveniuntur enim in bulla AB. I. 265. haec: „unde ipsos monendos duximus“ quae respiciant oportet ad aliud quoddam antecedens scriptum papale. Verba vero anteposita: „cavendum est dilectis filiis universis Teutoniae, Boemiae, Moraviae, Daciae, Poloniae et Pommeraniae“ monent nos bullae eodem fere tempore anni praecedentis, die XVI. Maji 1218. (Voigt Cod. P. I. 6.) datae, cujus titulus ex iisdem compositus est vocibus. Quomodo vero ultima hujus bullae verba, quae de potestate quadam in cruce signatos Christiano concessa agere videntur, intelligenda sint, nos nescire confitemur.<sup>21)</sup> Legati potesta-

hilominus tibi (archiepiscopo) licentiam retinendi cruce signatos provinciae memoratae per triennium contra praedictorum paganorum barbariem pugnatos.“ Quibus papa haec: „Gerentes de tua caritate.... fiduciam specialem te ipsum ac ceteros cruce signatos tuae provinciae tibi committendos duximus cet.“

<sup>21)</sup> In bulla apud Watterich. No. 1. Christiani nulla fit mentio, neque in No. 3., quae anni 1212 est. Christianus enim nondum ipse fuit episco-

tem, quam archiepiscopus habuit, illa verba imminuere voluisse minime videntur, nam et Henricum non ante diem XI. Maji 1219 legati munere se abdicasse et Christianum non ante diem XII. Maji ejusdem anni his verbis: „ut.... tibi omnibus modis intendant“ in munus ab Henrico antea occupatum successisse constat. Neque abhorret vel paucis quidem attingere, potestatem Christiano (anno 1217 mense Martio) a papa datam, ex qua ei in Conradi terris et Pomeraniae principum crucem praedicare licuit, Henrici legati muneri damnum afferre non potuisse, cum ei ex bulla mensis Aprilis anni 1217 concessum esset, ut licentiam Christiano tributam aut augetet aut coërceret.<sup>22)</sup>

Affertur etiam documentum a. d. III. nonas Majas pontificatus Honorii III. anno II. (die 5. Maji 1218) datum, quo Honorius Christiano, ut in dioeceses Prussiam distribueret, permiserit. Quae bulla, cum contra alias multas ejusdem diei vel certe mensis pugnet, obiter tantum a nobis memoratur. Ut Honorius scribit V. die Maji 1218 (cf. Cod. Pr. I. 8.) „erga *novellam* plantationem ad fidem Christi noviter in Prussia conversorum tanto exactiorem adhibere diligentiam cupientes, quanto ipsius *teneritas* minus possit contrariam violentiam sustinere;“ et eodem die (cf. Cod. Pr. I. 2.) et VI. die Maji (ibid. I. 3.) scribit: „ecce namque

pus, quo munere archiepiscopus Henricus fungebatur. In bulla Cod. Voigt. I. 1. anni 1217 jam est episcopus Prussorum in Christianos jam receptorum. Episcopi ergo munere „in partibus infidelium“ ad diem XVI. Maji anni 1218 functus esse videtur etiam in Prussos nondum in Christianos receptos, neque si ita est, prorsus negligi potest in sacra expeditione suscipienda, eum episcopus esset in episcopatu suo etiamsi „in partibus“. „Omnibus modis“ autem a cruce signatis ei erat obediendum a die XII. Maji anni 1219.

<sup>22)</sup> Conf. adnotationem 17.

circumjacens populus barbarus Prutenorum, gentem, quae nuper ad agnitionem veritatis pervenit in contemptum persequitur redemptionis et de tenebris erutam nititur ad tenebras persecutionibus revocare.“ — Ejusdem generis bulla est diei VI. Maji (I. Nr. 9.) Neque enim fieri potuit quin Honorius die XV. Maji potestatis illius jam adeo oblitus esset, si die V. Maji eam dedisset, ut de ecclesia Prussica haec scribere posset: „cum igitur soror nostra ecclesia, quam in partibus Prussiae sibi Dominus adoptavit, *adhuc parvula sit et ubera non habeat* etc.“ vel No. 5.: „Sed..... episcopus Prussiae ac alii, qui per Dei gratiam *ibi jam quasdam ecclesias* construxerunt.“ Quae eadem verba exhibentur in bulla diei XV. Junii Nr. 12. Praeterea cf. Nr. 10. et imprimis Nr. 11. etc.

Jam vero in omnibus vicinis provinciis incolae ad sanctam contra Prutenos expeditionem permovendi erant, omnibusque, qui non satis essent divites aut validi ad iter in Palaestinam suscipiendum,<sup>23)</sup> pugnandum erat contra Prussos, quos, si annales nostratium evolverimus, annis 1217, 1218, 1219 post mortem Christiani, magni illius palatini, quem Polonorum deum appellabant<sup>24)</sup> horribiles in fines Polonicos incursiones fecisse intelligimus. Atque jam anno 1219 hic illic expeditio contra Prussos parata esse videtur<sup>25)</sup>

<sup>23)</sup> Neque tamen omnibus concessum erat, ut contra Prussos pugnarent, sed debilibus tantum et pauperibus; „idoneis“ autem in Palaestinam erat proficiscendum. Cod. Pr. Voigtii I. 3. non repugnat sententiae nostrae. Papa enim profert, cruce signatos Moguntiacos aliosque sibi scripsisse „vires et facultates ipsis non suppetere“ atque cum indignatione quedam adjicit, „ut qui sibi (Deo) servire in subsidium Terrae Sanctae non possint..... *saltem* in succursum Prutenicae gentis, sibi devotum exhibeant famulatum.“

<sup>24)</sup> Cf. Długosz, lib. VI p. 620 — 622. s. a. 1217.

<sup>25)</sup> Cf. Zeitschrift des Vereins fuer Meklemb. Gesch. A. I. pag. 248.

— et exeunte hoc anno <sup>26)</sup> Silesiorum copiae contra Prussiam duce Henrico Barbato profectae sunt. — Quamquam Honorius neque postea permisit, ut validi et divites contra Prussos bella gererent, id quod ex epistola ejus VIII. die Maji anno 1220 data apparet, <sup>27)</sup> tamen, seu Christianus, qui nunc sacrae expeditioni praefuit, potestate Henrico, archiepiscopo Gnesnensi data, ex qua omnes belli gerendi cupidos utriusque Prussiae affinis ducatus contra Prussos ducere ei licuit, <sup>28)</sup> abusus, cruce signatos omnium Polonicorum ducatum contra Prussos duxit, seu omnes duces, barones proceresque, omnesque episcopi et praelati Gnesnensis provinciae se esse aegrotos vel inopes perhibuerunt; tamen, dico, omnes expeditionis contra Prussos annis 1222 et 1223 adhuc durantis participes erant. — De mutatis dioecesis Plocensis et Prussiae episcopi status, rebus annis 1222 et 1223 factis, complura magni momenti documenta nobis sunt servata, quae imprimis nuperrime perverse sunt intellecta et explicata. Qui errores e duabus praecipue causis fluxerunt, primum quod scriptores de hac re latius agentes oblitii sunt, omnes expeditiones sacras a papa vel ab eo,

<sup>26)</sup> Cf. Siegm. W. Wohlbrueck: *Gesch. des ehemaligen Bisth. Lebus* Berlin 1829, I. 57. — Henricus Barbatus cum Silesiis suis etiam tum erat talis Polonus, quales Conradus Masoviensis vel Lesus Cracoviensis. Cf. *Sommersberg* II. p. 57. *Dusb. pars. III. cap. X. Lelewel: Polska, dzieje i rzeczy jój* IV. p. 339.

<sup>27)</sup> Super eo vero, quod non omnes omnino petitiones..... potuimus exaudire non turbetur cor vestrum neque formidet, quia cum ad succurrendum Terrae Sanctae de necessitate totaliter nunc intendere compellamur, non expedit, ut cruce signatorum auxilium dividatur, ne divisum inveniretur inutile..... Sed..... tunc tota virtute in vestrum adjutorium intendemus et vobiscum et pro vobis militabit ecclesia generalis.

<sup>28)</sup> Cf. adnot. 17.

qui a papa ad hoc munus erat delectus, esse administratas, quod hic Christiano Prussiae episcopo bulla de die XII. Maji anni 1219 concessum erat, tum vero quod de ea bulla ii tantum *late prolixèque* tractarunt, qui rerum Polonicarum prorsus ignari erant.

Quam ob rem nonnulla hic nobis commemoranda sunt. Quod si memoria tenemus, quae supra jam de potestate legatis data in unaquaque expeditione prolata sunt, non offendimur eo, quod Christianus permetteret erat necesse, ut Conradus cruce signatos Silesiacos, Lebusiacos ceterosque omnes ad arces in terra Culmensi condendas adhiberet. Si praeterea animo perpenderit, Christianum, alicujus quidem Culmensis terrae partis, Prussicis episcopis comparandae totiusque terrae Culmensis sub potestatem episcopalem episcopi Prussiae ecclesiasticam redigendae causa, spe se abdicasse, per magnum cruce signatorum, belli cupidorum, numerum, magnam Prussiae partem dioecesi suae expugnatum se esse, eumque, quae Conradus Masoviensis proposuisset accepisse, intelligemus: Culmensis terram eum adhuc occupatam non habuisse,<sup>29)</sup> et episcopalem ejus potestatem minime magnam omnino, tantum in Prussia valuisse. Ex ipsa autem donatione concludi licet, neque discordias, neque privatas lites inter ecclesiam Polonicam et filiam ejus Prussicam, adhuc viguisse neque Christianum Conrado Masoviensi, neque hunc illi iratum fuisse; nam ecclesia Masoviensis donis Prussicam donat, Conradus Masoviensis vero multas ex privatis suis possessionibus episcopo Prussiae dedit, atque hic, qui sacrae praeerat expeditioni copiis, quibuscum ei Prutenos in ipsorum terra oppugnare licuit, non transgressus est cum cru-

<sup>29)</sup> Qua enim de causa gratum se debuit praestare duci Masoviensi et ecclesiae Plocensi pro donis, quae jam diu ipse obtinebat?

cesignatis suis fines vere Polonicos Conradi; et ut huic et ecclesiae Masoviensi auxilium pararet contra Prutenorum vexationes, impulit cruce signatos ad reparandas destructae arcis Culmensis munitiones. Quae terra ab ecclesia Plocensi Christiano cum ecclesiasticis juribus et privatis concessa erat, ea ex documento, episcopatus per se, fieri vetabatur, cum expressis verbis episcopatus Christiani esset addicta. Colmen vero illud, in enumeratis a Watterichio arcibus donatis, litteris excusum pinguibus, non esse urbem Culm, sed Culmsee<sup>30)</sup> nobis est contendendum, si quidem veritatem historicam novis opinionibus praeferimus. Ad quam sententiam nostram nos impellunt hae causae; primum geographicus enumeratarum arcium ordo, tum quod postea in documento

<sup>30)</sup> Memoria dignum est locorum hic allatorum, aut eadem, aut inter se simillima inveniri nomina in Masovia et in Coninensi regione.

Nesnangeewicz = Nesuawgewo in Muczkowski Cod. dipl. Pol. I. Nr.

70, enumeratum inter vicos non procul a Varsovia sitos.

Pomzino = Komsin in Czerwienscensi regione situm ibid. I. 3.

Grobno = Kromnow apud urbem Sochaczew ibid. I. 3.

Partema = Parleń apud urbem Czerwiensk ibid. I. 3.

Benkowo = Bancow Mucz. II. 2, 437.

Cosolko = Kosciol in Coninensi regione I. 48.

Mirche = Mozscho in Coninensi regione I. 1.

De illo „Cossubudi“ AB. I. 274. nominato, docere nos potest, quid fuerit Cossutha Mucz. I. 41; — Cosuth I. 85; — Cosuti I. 88; — Kosschuth I. 93. et Cosschuta I. 95. situm in regione Conin. — Vicis donationis Conradianae cf. AB. I. 275. mirabilia sunt nomina: Szarno = Scarnese vel Sarnese donationis anni 1222 ejus exemplar transcriptum ex transumpto in archivo regio Varsav. metryka sekr. Nr. 743. asservato, et anno 1264 ab Anselmo Varm. epo. facto, invenitur in libro, cui „Pisma Dominika Szulca“ (Warszawa 1854) nomen est p. 175—178. — Naroschnik = Narozne, Narozne ejusdem donationis a. 1222. Rudko = Ruskow in Conin. regione situm. Mucz. I. 221. Tuschino = Tuszyn in Piotrcoviensi regione situm. Mucz. I. 48.

memoratur, Christiano arcem Culmensem habitandam esse praebitam, quae non fuisset necessaria, si illud Colmen, jam antea totum ei donatum, „Culm“ urbs esset,<sup>31)</sup> denique quod „Culmsee“ urbem episcopi fuisse procul dubio constat, eumque hic sedem suam episcopalem habuisse: id quod etiam Watterichium scire oportebat, cum p. 124 eam Actorum Borussicorum paginam laudet, in qua de illa re proditur. Qui vero fiat, ut Watterichius nihilominus in antecedenti pagina rethorice exclamare possit „nonne Culm episcopalis ejus fuit urbs?“<sup>32)</sup> ex ultimis primae periodi verbis annotationis 37. apparet. Quod circa finem privilegii mentio fit Henrici, Silesiae ducis, docet Henricum agros etiam in terra Culmensi possedisse. Denique memoradum nobis est, ex Roepellii, de jure ducali data explicatione, Conradum summam totius terrae Culmensis potestatem sibi retinuisse, ad Christianum vero non transiisse.<sup>33)</sup> Conradus tantummodo

<sup>31)</sup> Neque id effugit Watterichium, quapropter explicavit haec verba: „praeterea autem in castro Colmensi curiam propriam et conventum qualem voluerit..... habebit“ ita: „die Kreuzfahrer werden dem Bischofe Christian in der Burg Kulm eine Kurie und ein Kloster bauen.“ Quam explicationem minime probandam sequitur annot. 53. non magis probanda.

<sup>32)</sup> Omnino falso Watterichius judicat de rebus geographicis. Ut p. 17. necesse fuisse existimat Conradus Vistulam transgrederetur, si ab Masovia in Prussiam contendere vellet. Cujus generis errores etiam postea afferentur.

<sup>33)</sup> Ad ea, quae in Roep. Gesch. Pol. I. 440. sqq. de hac re sunt constituta, facere non possum quin locum quendam e documento anni 1277 desumptum adjiciam, quem ipsum Roepellius vir doctissimus, mihi suppeditavit. Verba ibi leguntur Mestwini, Pomeraniae ducis, haec: „invenimus villas inferius annotatas plenam et omnimodam libertatem habentes; ita quod nobis, domino terrae, nullae exactiones, solutiones, servitia seu jura ducalia competant in eisdem“ Muczk. II. 1. Nr. 109. Nulla igitur sibi arrogat jura ducalia Mestwinus, quamquam ipse se dominum terrae esse

omnes meliores villas et haereditates suas ei dedit, id est, magnum privitarum suarum possessionum numerum, quae ad urbem Culm et in tota terra Culmensi sitae erant dispersae. Quare verba „quicumque terram Culmensem habuerit“ aliter sunt vertenda, ac Watterichius p. 31. vertit. Aut num Conradus summam sibi potestatem non retinuit, atque tamen Christiano propterea, quod hic in terra sua arcem extruendam curabat, quae ut aedificaretur Conradus eum rogaverat, huic Christiano dico, centum e possessionibus suis donavit? Quid commodi Conradus hac ex re percepit? Nihil sane. Nam Watterichius quoque concedit, iter e Prussia in Masoviam non necessario per terram Culmensem ducere. Neque minus vituperandus est Watterichius propter multas notas et conclusiones pp. 27—33. et 191. ex hoc privilegio prolatas, quae cum per se corruant refellendae mihi non videntur. Ex hoc documento Christianus (quamquam Watterichius in annot. 56. rem esse dubiam putare videtur) universam terram Culmensem episcopatum accepit atque episcopus „in partibus.“ esse desivit. Nam quamvis Watterichius de magnis regnis aut ducatibus mentionem faciat, quorum Christianus non solum episcopus, sed etiam dominus summus fuerit, veteres tamen sententias retineo et Lansaniam atque Luboviam non ducatus fuisse censeo, ut supra jam memoratum est, sed privatas possessiones non ita magnas. Atque in hac sententia maneo, episcopatum ejus ad hoc tempus fuisse admodum mediocrem neque facile ad obtinendum. — Ut vero rem ad finem perducam, ex confirmatione papae (AB. I, 270—2) intelligitur Conradianae donationi antecessisse donationem ecclesiae Plocensis, papamque quam donationem Conradus dedit. — Ex quibus apparet, Watterichium in annot. 50. falso de rebus Polonicis iudicasse.

dux episcopis Prussicis fecerit, in ecclesiam Prussicam transtulisse.<sup>34)</sup> Papa vero, Conradum haec omnia „ab omni exactione libera“ in episcopos Prussiae eorumque ecclesiam „contulisse“<sup>35)</sup> dicit. Praeter affirmationem privilegii anno 1222. dati, papalem habemus affirmationem<sup>36)</sup> Conradianae a. d. III. Cal. Aug. (die 30 Julii) 1223. coram omni exercitu cruce signatorum factae donationis. (cf. AB. I. 275.) Quamvis Christianum et ecclesiam Prussicam fecerint principes Polonici, non solum ex eo, quod tam multi eorum sacrae expeditionis participes erant, sed etiam ex donationibus, quas Christiano anno 1223. concesserunt, facillime intelligitur.

Quas donationes sacrae expeditionis, quae ab anno 1219. usque ad 1223. facta est, ultimas jam res gestas fuisse vulgo contendunt. Nos autem jam diu in dissertatione de Dobriniensi ordine Polonice scripta<sup>37)</sup> monstrare studuimus, ordinem illum inter hanc sacram expeditionem institutum fuisse. Quae ibi jam protulimus, et quae praeterea investigavimus, hic complectemur. Ordo igitur sine dubio institutus est a Christiano non sine auxilio Conradi, quod alio sane tempore

<sup>34)</sup> Tria enim haec possessionum genera: possessiones privatas, episcopales, ecclesiasticas discernenda esse puto. Quod sciamus, Christianus privatas habuit ex memoratis, donationem capituli generalis Cisterciensis atque Radzin, quod emerat; episcopales Wladislai Odonis donationem, Varpodae et Savabunii, Lesci, Crucii et Conradi anno 1223 factas (cf. AB. I. 273—5.); Lowicziae facta donatio ex affirmatione papali possessio ecclesiastica et episcopalis facta est.

<sup>35)</sup> Cf. annot. Watterichii 130. — Quod nihil refert: confero enim do, dono, cedo, assigno similes voces inveniuntur promiscue, tamquam idem significantes, in privilegiis illorum temporum.

<sup>36)</sup> Cf. AB. I. 272—3. Annus est falsus adscriptus. — Quid Watterichius fecerit cum hac affirmatione videre licet ex Regest. p. 192.

<sup>37)</sup> Biblioteka Warszawska. Rok 1856, miesiąc Styczeń, p. 1—31.

feri non potuit, quam quo ipse rebus Prussicis praefuit. Est autem longissimum tempus, cum etiam in bulla (cf. Cod. Voigt. I. 26.) de die 18 Julii 1231 haec legantur: omnia „juxta consilium memorati episcopi et dilectorum“ cet. fieri debere. In bulla ap. Rayn. s. a. 1232 §. 6—7 a. d. X. Kal. Febr. (die 23. Jan.) jam non appellatur. Quod vero, cum tempus ad constituendum ordinem maxime idoneum explorare vellemus, hanc sacram expeditionem elegimus, compluribus de causis fecimus. Primum enim censuimus in hac tam gravi re, ordinis traditionibus fidem esse dandam, atque Dusburgius refert, pactiones cum de Salza initas esse „ex quo videret (sc. dux Conradus) quod fratres milites Christi per eum ad hoc instituti non proficerent in hac causa;“ tum autem nitebamur iis, quae prodiderunt Belscius, Henelius, Schuetzius, Cromerus, e quibus hic anno 1222. modo praeterlapso, alii vero sub anno 1222. ipso, de ordine Dobrinensi mentionem faciunt. Quorum gloriae et famae minime obtrectantes neque negantes fidem eorum in aliis rebus certam esse posse, facere tamen non potuimus, quin silentio praeteriremus, illos de ratione, qua ordo ortus esset prorsus perverse judicasse. — Praeterea et illud commemoravimus, si ordo Dobrinensis inter expeditionem sacram ortus esset, ortui hujus cum Teutonici ordinis ortu similitudinem aliquam esse. Uterque enim constitus est, antequam papa, ut constitueretur, permisit. Illic habes Fridericum, ducem Sviae, Hierosolymorum patriarcham, proceres et praelatos imperii Romani; hic duces archiepiscopum, episcopos, praelatos, proceres monarchiae Polonicae, episcopum Christianum, amicum apostolici sedis, qui tum apostolici legati munere fungebatur; apta vero utriusque ordinis institutio conditores spe affecit, papam operi inchoato affirmationem denegaturum non esse. Hic et illic (inter sacram expe-

ditionem) sunt homines, qui totam vitam, fidei Christianae defendae, dedere sint parati. — Neque hoc etiam praetermittendum est, ex iis, quae G. C. F. Lischius: *Zeitschrift des Vereins fuer Meklemb. Geschichte A. I.* indagavit p. 17 et 18 sequi, multos Dobrinensium Meclenburgenses fuisse. — Verisimile autem est, Meclenburgenses in Masoviam ituros non fuisse, ut totam vitam in bellicoso ordine agerent, nisi tempore sacrae cujusdam expeditionis. Quam ob rem concedendum erit, ordinem Dobrinensem inter expeditionem sacram conditum esse. Tum vero Lischius l. c. et p. 91. et imprimis p. 248, ubi Brunvardus, episcopus Sverinensis, anno 1219. ad sacram expeditionem se parasse traditur, satis non docet, quo modo Meclenburgenses, ut essent in ordinem, inter annos 1219 — 23 conditum recepti, fieri potuerit. Causis vero quas Watterichius p. 218. et alibi attulit, cur ordo multo post institutus esset, Voigtium in singulis rebus non refellit;<sup>38)</sup> et quod maximi est penderis papa Gregorius IX. ordinem *multo ante secundum* pontificatus annum affirmare non facile potuit. — Omnino anno 1228 praeterlapsa erant illa tempora, quibus armati homi-

<sup>38)</sup> Praeter illam (cf. Cod. Pr. I. 7.) affirmationem papalem postea factam et id etiam est animadvertendum, ordinem, quamquam jam anno 1222 aut 1223 conditus sit, aut paululum tamen postea donari potuisse, ut prima Cisterciensium abbatia Andrejoviae, aut donationem postea esse auctam. Verumenimvero Dusburgius (pars II. cap. IV.) eos initio tantum Cedelicze accepisse refert, et anno 1228 multo plura eos accepisse scimus. Atque hoc quoque potuit fieri, ut Honorii affirmatio periret, institutionis quoque documentum Christiani, cujus papa Gregor. IX. (Cod. Pr. I. 20.) mentionem facit, amisso. Quid porro sibi vellent verba bullae Cod. P. I. 20. „bone memorie“ *de vivo Christiano* dicta, atque haec: „nec non possessiones et alia bona vestra, sicut ea . . . . obtinetis et in authenticis exinde confectis plenius dicitur contineri“ bullae Cod. Pr. I. 21., si ordo anno demum 1228 ortus esset?

nes tamquam e terra, dentibus dracontis insitis, germinabant. Nimis autum incauti aut rerum Polonicarum imperiti esse videtur cogitare, sacram quandam annis 1226 et 1227, contra Prussiam, expeditionem, factam esse.

Julio mense anni 1223. universus cruceSIGNATORUM exercitus etiamdum erat in terris Conradi Masoviensis (AB, I, 275.) — Quam diu hic permanserit, memoriae non est proditum. Fortasse tamen non errabiuus, si nuntium de incursione Prussorum in Swantopelci praefecturam cruceSIGNATOS dissipasse, conjiciamus.<sup>39)</sup> Pommerani se tum receperunt, ut patriam suam defenderent, duces Polonici domum reverterunt, postquam in finibus Poloniae relinquerunt militiam recens conscriptam, quae contra infideles pugnaret. Nomine sacrae expeditionis, ordo modo constitus, ea omnia perficere potuit, quae Lucas David II, 7—9 narrat, praesertim cum, cruceSIGNATIS quoque absentibus, Prussis cum Pommeranis dimicandum esset. Memoria vero expeditionis modo factae, quae tanto terrore Prussos effecerat, incursiones Dobrinensium usque ad annum 1225 adjuvisse et Prussos ab impetu contra Masoviam suscipiendo deterruisse videtur. Praeterea Prussi non ignoraverunt Conradum quoque periculo imminente trepide cunctaturum non esse. Paulo post vero Henricus Barbatus ipse Prussos in novis contra terras Christianas exercendis injuriis adjuvit et ordinis Dobrinensis studia irrita fecit, cum Minoris-Poloniae procerum contra Lescum exortam seditionem, avunculi imperio privandi spe, foveret.<sup>40)</sup>

<sup>39)</sup> Non praetermittendam tamen censemus annotationem, jam anno 1223 „Conradum“ (false procul dubio pro Christianum) „Prutenorum episcopum“ documenta bis subscripsisse, quae Henricus Barbatus Trebnitzae scribi jussit. (Sommersberg Scrip. rer. Siles I. 828.)

<sup>40)</sup> Długosz VI. p. 631—32. sub anno 1225. Cf. Cromer: de orig.

Ut Henrici consiliis occurreret, Lescus Conradum Masoviensem fratrem sibi adjunxit,<sup>41)</sup> atque hac ratione Masovia incursioni Prussorum objecta est. Conradum autem in Minore-Polonia, Cracoviae,<sup>42)</sup> degentem Dobrinenses de adventu Prussorum certiores faciunt.<sup>43)</sup> Ille revertit et cladis quam ad Brodnicam (Strassburg) accepit ordo, particeps factus est.

Ut omnia, quae adhuc protulimus, complectamur, docuimus, novam fidem in Prussia ab ecclesia Polonica esse disseminatam, Henricum Kietliczium usque ad exeuntem annum 1212 pastorem novi gregis fuisse, eumque, postquam ecclesia nova suum ab eo consecratum pastorem accepit, nihilominus tamen usque ad XI. diem Maji anni 1219 omnibus orientis ecclesiae rebus praefuisse. Relatum est a nobis, hanc gubernationem die XII. Maji anni 1219 a papa Honorio Christiano commissam esse, cui jam ante apermiserat, ut ad salutem Prussorum jam in numerum Christianorum receptorum incolas quosdam ducatum Conradi et Pommeranorum ad sacram expeditionem suscipiendam moveret. Monuimus, omnia illa verba, ex quibus Watterichius summam Christiani potestatem deduxit, non pertinere nisi ad legati munus. Tum vero attulimus Christiano contigisse, ut satis diuturnam expeditionem secram fidelium *imprimis* provinciae Gnesnensis pararet eumque in hac expeditione parvis adhuc possessionibus ecclesiae Prussicae magnam adjecisse. Deinde probavimus, Conradum in possessionibus episcopis

cet. lib. VII. Pistor. II. p. 528—29. — Math. de Miechov. Chron. Pol. lib. III. c. XXXI., Pist. II. p. 82.

<sup>41)</sup> . . . . et Conradum Masoviae ducem germanum suum, ad repulsionem hujusmodi injuriae *cum omnibus Masoviensium et Cujaviensium militum copiis* in adiutorium suum accersiverat (sc. Lescus), inferendum sibi ab Henrico bellum duplatis viribus . . . . propulsaturus. Dlug. VI. 632.

<sup>42)</sup> Dlug. *ibid.* — <sup>43)</sup> Luc. David. I. c.

Prussicis traditis et in tota terra episcopatu Prussico concessa summum sibi imperium potestatemque excepisse — summamque fuisse concordiam inter Christianum ecclesiamque Prussicam, et inter Conradum Polonicamque ecclesiam. Denique tandem probare studuimus, inter expeditionem sacram annorum 1219—23 ordinem Dobrinensem esse constitutum, qui anni 1225 aestate cum Conradi exercitibus cladem accepit.

Jam vero ea addere nos posse putamus, quae ante librum Watterichii editum scripsimus. Singulas ejus res refellere et non utile et infinitum existimavimus. Acerbissima vero eaque injustissima verba, quibus in Polonicos duces et in nationem, ejus participes esse gloriamur, utitur, indigna, quam quibus respondeamus, putavimus. Silentio ea transire aptissimum igitur habuimus, ne refellendis nos ipsos laedamus aut laesi esse videamur. Hoc tamen non dicere nequeo, *Christianum* scriptorem, — quamquam *paganum* ejusdem populi mos nusquam jam invenitur, ex quo accusator eam ipsam poenam, quam reus, si rei culpam probare non potuerit sequi oporteat, — *conscientia* tamen prohiberi debere, quominus hominibus jam diu mortuis scelera *affingeret*, quae si nostris temporibus committerent in carcerem publicum conjicerentur.

## PARTICULA SECUNDA.

*A pugna apud Strassburgum (Brodnica) facta usque ad Hermannii Balci in Masoviam adventum.*

Clade apud Strassburgum accepta <sup>1)</sup> Conradus, cum persuasum haberet, ordinem, qui Dobrinensis appellatur, vel

<sup>1)</sup> Preussische Chronik von M. Luc. David. Koenigsberg 1812 B. II. p. 8.

cum Masoviensium copiis conjunctum ad ipsius ducatum ab infidelium Prutenorum incursionibus defendendum suffectorum non esse, ducatus primores in concilium convocavit,<sup>2)</sup> qui de pace et securitate communi deliberarent, vel, ut verius dicam, qui Cruciferorum ordini acciando assentirentur assensique ante omnia in eam adducerentur cogitationem, ut essent defensores novi novis praemiis remunerandi. Qui conventus

<sup>2)</sup> Secundum enim Dusburgium pars. II. c. V. Conradus ipse Dei intuitu consilium adducendi ordinis Teutonici concepit. Voigtius in libro qui „Gesch. Preussens“ inscriptus est II. 159. ex Christiani, Prussiae episcopi, sententia, hoc consilium processisse, contendit. Prodit enim Voigtius test. Dusb. l. c. „odorem bonae famae ipsius (sc. ordinis) longe lateque diffusum tandem ad notitiam dicti ducis pervenisse“..... Christianum igitur ad Conradum ordinis Teutonici pertulisse notitiam. Dobrinensis autem, quem Christianus instituerat ordo, in quem fratres receperat et magistrum (cf. Dusb. II. c. IV.) cum illo tempore etiam floreret, non intelligitur, qui potuerit fieri, ut in illius contumeliam alium introducere in animo haberet ordinem, cum quo insuper, ut infra dicitur, a principio statim litibus se implicavit? Sed ut breviter dicam, certant haec Voigtii cum l. c. Dusburgii. Auctores vero alii, quos citavit Voigtius, non possunt aequiparare Dusburgium nedum ei praeferri: sunt enim aut aliquot seculis recentiores aut corrupti certe, ut Boguphalus, qui l. c. non de Cruciferis cum barba, sed de Henrico Barbato certe scribere voluit, aut non omnibus noti, ut Chronicon Olivense. — De Wall (Essai sur l'histoire de l'ordre Teutonique. A Paris et à Rheims 1784 I. p. 216.) secutus est in hac re Dusburgium proptereaque de Christiano tacet. Sed Lucas David II. 31. sqq. late, diffuse prolixaeque lectorem certiore facit de rationibus, quibus Christianus ducem convincebat. Huic tamen scriptori sextidecimi aevi exeuntis, quem Voigtius secutus est, hac in re fides non est habenda. — Nos vero Dusburgio nitimur nec parvum excellentissimorum, Prussicarum rerum scriptorum numerum, sequimur ut: C. Schuetzium (ed. 1599) p. 17, Joannem Petr. Titium (Acta Bor. II. 162.); Andr. Crebsium (ibid. 507.) qui II. cc. ordinis in Masoviam introductionem enarrantes, nullam mentionem de Christiano faciunt, sed, ut Dusburgius, Conradum sua sponte consilium advocandorum Cruciferorum cepisse proferunt.

consilio ducis exsequendo, non modo attulit difficultatem nullam, sed etiam — si vera sunt, quae ordinis Teutonici rerum scriptor vetustissimus memoriae prodit — non satis potuit futurorum defensorum et fortitudinem et animos viriles collaudare, cum quam maximum speraret se securitatem per eos, qui a papa, caesare, ducibusque imperii tanti existimarentur,<sup>3)</sup> esse adepturum. Quibus rebus factis Conradus solennes cum litteris nuntios ad ordinis magistrum Hermannum de Salza misit,<sup>4)</sup> qui cum eo de conditionibus accipiendis tractarent atque partis avorum terrae jura et redditus illi offerrent, si Conrado bellis contra infideles gestis auxilium se esse laturum promisisset. Magister autem Hermannus de Salza, concilio cum fratribus de magno hoc negotio habito, ducis vota accipere non abnuït. Cujus imbecillitas ipsi adeo non credibilis videbatur, ut ne solemnibus quidem credens nuntiis, in Masoviam mitteret, qui quale esset donum promissum, numque dux misisset ipse eos nuntios, explorarent.<sup>5)</sup>

Quo facto Hermannus una cum imperatore Friderico II. privilegium excogitavit, quo non solum ducis Masoviensis donationes sanxit, dilatavitque, sed eas subjiciens ordinis

<sup>3)</sup> Dusb. p. II. c. V.

<sup>4)</sup> Sic Dusb. I. c. — Voigtius II. 163. contendit, Christianum verisimiliter praefuisse legationi: qua opinione cum Dusburgio et L. Davide II. 33. pugnat, quorum uterque de solenni prodit legatione, et secutus est de Wallum I. 217, qui e levi quodam rerum harum scriptore sententiam suam deprompsit. Si Voigtius de Salzam legationi plenam fidem non habuisse non ignorat, opinio ante prolata ipsi quoque non verisimilis esse debet.

<sup>5)</sup> Dusb. I. c. „Misit itaque dictus magister fratrem Conradum Landisberg et quendam alium fratrem sui ordinis ad ipsum ducem Poloniae, ut explorarent terram Culmensem et viderent, si de voluntate ipsius nuntiorum legatio processisset.“

magistris et imperatoribus Romanis, etiam prorsus ex dominatione Conradi exemit; privilegium, quo infelices illi fontium nemorum arborumque sanctarum cultores didicerunt: terram, qua ipsi nutriti, in qua patres sepulti, cujus fructibus avi ipsorum per tam longum tempus quiete usi fuissent, non ipsorum esse, sed „vetus et debitum jus imperii“ ex quo expellere ipsos, aliosque collarare incolas, ordini Teutonico liceret.

Quod ad causas attinet et consilia quibus motus de Salza in Masoviam exercitum mittere constituerit: generosas solum fuisse causas, contendit Voigtius II. 162—3. Quum omnia sub sole, ut cuique videntur, aut nobilia, aut humilia appellentur, magistri causae et consilia a Voigtio illi supposita, Voigtio possunt generosa, — nobis autem humillima videri. — Sed disputatione de generositate praetermissa, repetamus potius, quae hac de re Röepellius, vir quam optime de historia Polonica meritus, in libro qui „Geschichte Polens“ inscribitur I. 434. sqq. tam acute et subtiliter omnium primus dicat. Quibus in repetendis, brevitatis, quoad fieri poterit, studiosi ea tantum, quae huc maxime pertinere videntur germanice, ne sententias ejus mutilemus afferre volumus: „Soeben hatte dieser einen bedeutenden Verlust erlitten, und noch groessere standen bevor, wenn die schon wankende Herrschaft der Christen in Palaestina und Syrien gaenzlich verloren ging — als der Meister jenen Ruf erhielt, welcher dem Orden nicht nur eine Aussicht auf reichen Ersatz fuer alle jene Verluste, sondern ihm auch ein neues und weites Feld zur Bethaetigung seiner Bestimmung zum Kampf fuer das Christenthum gegen die Heiden eroeffnete. Um so mehr ging Hermann von Salza auf den Ruf ein, aber er ging nicht nur ein, sondern er knuepfte auch von vorn herein umfangreichere Plaene an das Anerbieten Kon-

rads als dieser selbst sich gedacht haben mag. Noch im Maerz des Jahres 1226 liess sich der Hochmeister von Friedrich II. eine Urkunde ausstellen, in welcher dieser.... seine Einwilligung zur Eroberung Preussens aussprach und dem Orden nicht nur die Schenkung Konrad's bestaetigte, sondern ihm auch alles von den Preussen zu erobernde Land im Voraus, gewissermassen als ein Reichslehn, mit den ausgedehntesten Rechten eines Reichsfuersten verlieh; ein Schritt aus welchem klar hervorgeht, dass der Orden von vorn herein in Preussen *fuerstliche Territorialherrschaft gruenden*, das zu erobernde Besitzthum aber von jedem Verhaeltniss zu den Polenfuersten abloesen und es statt dessen mit Kaiser und Reich in eine naechere Verbindung zu bringen den Plan hatte.“

Privilegium autem Friderici datum est Arimini, mense Martio anni 1226. Fridericus praefatione turgida et inflata<sup>6)</sup> finita declarat, ab Hermanno de Salza certiozem se factum, Conradum Masoviae ducem, clientem suum, promississe, se magistrum ejusque exercitus vectigalibus terrae Culmensis sustentaturum<sup>7)</sup> in aliaque terra, quarum utraque inter suum

6) Quam legenti in memoriam veniunt ea, quae Puetzius in libro „Lehrbuch der vergl. Erdbeschreibung“ inscripto p. 52. de Chinensiorum imperatore scribit: Nach chinesischen Begriffen ist das Reich des Himmelssohnes gleich dem Erdenrund; dass es in der Wirklichkeit diesem nicht entspricht, das liegt an dem Ungehorsam der Barbaren, welche seine rechtmassige Ansprache nicht anerkennen wollen.

7) (\*) Quamquam illud „providere de aliqua re“ a scriptoribus ejus temporis usurpabatur pro „alicui aliquid donare“ tamen haec donatio est ejusmodi, ut donatus verus quidem sit donatae terrae dominus ita tamen, ut superiorem quendam agnoscat dominum. Quodsi in nostrum locum conferimus, superiorem illum dominum intelligimus velle Cruciferos sustentare vectigalibus donandae terrae. (\*)

ducatum et confinia Prutenorum posita esset, locaturum<sup>8)</sup> ea conditione, ut operam navarent, idque cum bono effecto, Prutenis in fidem Christianam covertendis.<sup>9)</sup> Quibus prolatis Fridericus perguit: Hermannum autem de Salza nullam duci responsionem dedisse, sed a se (imperatore) petisse, ut vellet suis (sc. Salzae) annuere optatis, quae quidem haec essent: luberet imperatori donare confirmareque, et terram, quam Conradus concedere ordini in animo haberet, et eam (quam concedere in animo non habet), quam ordo sibi in Prussia expugnaturus esset — et de hoc donato privilegium justum ordini praeberet. Sub ejusmodi tantum conditioni-

8) (\*) Procul dubio enim tale aliquod collocandi verbum ad illud „in alia terra“ supplendum est. Providere enim vox non potest nisi ad antecedentia verba „de terra“ trahi, non hic quoque subaudiri. (\*)

9) „..... Quod devotus noster Conradus dux Masoviae et Cujaviae promisit et obtulit ei (sc. magistro) et fratribus ejus providere de terra, quae vocatur Colmen, et in alia terra, inter marchiam suam videlicet et confinia Prutenorum ita quidem, ut laborem assumerent et insisterent opportune ad ingrediendum et obtinendum terram Prussiae ad honorem et gloriam veri Dei.“ — Sententia: „inter marchiam suam et confinia Prutenorum“ pertinet et ad „terra quae vocatur Colmen“ et ad „in alia terra.“ Quae utraque regio inter ducatum Masoviensem et confinia Prutenorum jaceat, oportet. — Saeculo sexto decimo adeo non potuerunt nostrates intelligere, quo jure imperator eo modo de ducis Polonici possessione loqui posset, ut Cromerus de donatione quadam facta diceret, inter Brandenburgiam et Masoviam sita. Usque ad Voigtium contendebant promissione illa Culmensis et Dobrinensem terram a Conrado significatas esse. (A. v. Kotzebue Preussens aelttere Geschichte. Riga 1808 I. 143. De Wall l. c. I. 217. sqq. cet.) — Voigtius autem II. 170. Dobrinensem fuisse negat terram et quam sibi finxit Dusb. II. c. V. terram Luboviam, eam addidit. Nos vero postea privilegiis demonstrabimus neque Dobrinensem, neque Luboviensem terram Cruciferis concedere Conradum in animo habuisse, sed omnino aliud quid se esse additurum pollicitum esse, eique promisso primo statim privilegio eum stetit.

bus se ducis oblatum donum accipere (et quidem hoc modo mutatum), et ordinis bona singulosque bellorum periculis cum infidelibus gerendorum exponere posse. — „Nos igitur,“ pergit Fridericus, „attendentes..... quod terra ipsa sub monarchia imperii est contenta..... auctoritatem magistro concessimus terram Prussiae cum viribus domus et totis conatibus invadendi..... concedentes et confirmantes magistro et domui suae tam praedictam terram quam a praescripto duce recipiet ut promisit, et quamcunque aliam dabit, nec non totam terram, quam in partibus Prussiae conquirit..... velut vetus et debitum jus imperii.“ Sequuntur exemptiones et libertates imperii ducibus donatae, quibus Fridericus ordini, ut in Prussia utatur, permittit.<sup>10)</sup>

Quo in privilegio duae partes sunt distinguendae, quarum altera Conradi ducis oblatum donum, altera vero, Salsae ab imperatore confirmata desideria continet. In prima parte privilegii, videlicet in promissa ducis donatione, non vult Conradus ordini concedere in donanda terra Culmensi reipublicae speciem quandam, utpote quae non agnosceret superioritatem suam, neque expugnatas ei Prussiae partes

<sup>10)</sup> Illud Voigtii II. 167, quo affirmat papam Honorium jam simile privilegium ordini dedisse, omni caret argumento. Dusburgius enim in partis II. cap. V. quem locum Voigtius confert ne uno quidem verbo de confirmatione privilegii a papa facta mentionem facit; ceterum centum annis posterior est; quo etiam recentior auctor libri, cui „Ordens-Chronik“ nomen inscriptum est, nobis hac in re sufficere non potest. Sin autem Cruciferos in servandis privilegiis diligentes confirmationem illam papae amisisse concedamus, mirandum certe est qua de causa Cruciferi sibi hujus privilegii renovationem ab aliis papis non prospexerint. Quamquam enim autographa aliorum privilegiorum praesto iis erant, nihilominus ea confirmanda et renovanda curabant a successoribus eorum a quibus data erant. Cur igitur nullam habeamus quaeris renovationem? Quia nullum scilicet privilegium Honorius dedit.

donare. Immo vult tantum Conradus, ut liceat sibi ordinem mercede conducere in subsidium contra Prutenos, et experiri, quid possit prodesse in infidelibus ad verum Dei cultum convertendis. Hancce illis mercedem de vectigalibus terrae Culmensis spondebat et interim<sup>11)</sup> se in alia terra eos esse collocaturos promittebat ita vero, ut hic quoque locus inter ducatum suum et Prutenorum confinia jaceat. Atque haec quidem sunt prima Conradi promissa et consilia prima, quae ut explerentur ordinem in Masoviam vocavit.

Altera in privilegii parte Hermannus de Salza consilia Conradi rejicit, adjutusque imperatoris auctoritate jura sibi et promissarum et non promissarum<sup>12)</sup> terrarum vindicat multo alia quam quae Conradus conferre in eum habuit propositum. Non igitur, quae dare Conradus voluit, sed quorum avidus Hermannus fuit, ea Fridericus ordini confirmat. Quod etiam aperte Fridericus his verbis confitetur: „quam promissionem recepisse distulerat (sc. Salza) et celsitudinem nostram suppliciter implorabat, quod, si dignaremur annuere votis *suis*,“ ergo non votis *Conradi* sed votis *Salzae*. Si quis nobis hic objicere voluerit, temporibus illis non tam accurate distinctum esse inter „*ejus* votis“ et „*suis* votis:“ respondebimus, neminem omnium mortalium oblata a Conrado dona, de quibus hoc ipsum privilegium tractat ex sequentibus intellecturum verbis: „quod, si dignaremur annuere votis *suis*, ut auctoritate nostra fretus, inciperet aggredi et persequi tantum opus, et ut nostra sibi et domui suae concederet et confirmaret serenitas tam terram, quam praedictus dux donare debebat, quam totam terram, quae in partibus Prussiae per eorum instantiam fuerit ac-

11) Cf. annotationem 6 (\*) particulae tertiae.

12) In oblatione enim sua Conradus ne mentionem quidem facit de condonandis Prussiae terris expugnandis.

quisita, et insuper domum suam immunitatibus libertatibus, et aliis concessionibus, quas de dono terrae ducis praefati et de Prussiae conquisitione petebat, nostrae munificentiae privilegio muniremus — ipse oblatum donum dicti ducis reciperet et ad ingressum et conquisitionem terrae continuis et indefessis laboribus bona domus exponeret et personas.“

Quid, nonne sunt prorsus aliae Conradi primae intentiones? Nonne Salza cum Friderico, Conrado Cruciferos in subsidium ad bella contra infideles pro certa et justissima mercede conducere cupiente, postposita ducis voluntate aliam sibi mercedem arrogaverunt? Quamquam scriptores ad favorem ordinis inclinati omnes imperatorem et Salzam sequentes semper repetunt: Conradum et Culmensem terram et Luboviam et Prussiam totam cum summa potestate et renuntiatione omnium jurum ordini condonasse. Addunt etiam chartam, in qua primum ducis promissum erat conceptum perisse, sed contineri iis quae Fridericus confirmaverit. — Haudquaquam in iis quae *confirmavit* Fridericus, sed in initio privilegii oblata ducis dona sunt conservata, multoque alia continent, quam quae illi repetunt. — Quae quidem nostrae sint paucae annotationes contra locos communes contententium: hoc privilegio Fridericum oblatum donum ducis confirmasse.

Sed quo privilegio prius quam frui potuit ordo Crucifero-  
rum, eventum expectavit legationis suae, cui Conradus Landsbergius, domi bellique omnium vir excellentissimus praeerat. Legati ordinis in Masoviam venerunt quum Conradus dux in remotis ageret regionibus.<sup>13)</sup> Qua de causa ducis adven-

<sup>13)</sup> (\*) Cum etiam hac in re veteres sententiae nobis videantur retinendae, neque intelligere possimus, quidni Hermannus de Salza statim ad ducem Masoviensem miserit, persuasum habemus Conradum Landsbergium

tum praestolarentur necesse fuit. Fata tulere, ut Pruteni eodem tempore<sup>14)</sup> in Masoviam irrumperent ordinisque legatis fortitudinis ostendendae occasionem praeberent. Landsbergius cum sociis suis, precibus ducissae commoti, exercitui Masoviensi duces se offerunt eumque ad pugnam constituunt. Et licet interneciva pugna, acceptis multis vulneribus, succubuerint multitudini infidelium: singularis tamen fortitudo Masoviensium, imprimis vero ordinis legatorum hac in pugna, tanto illorum aciem affecit timore, ut a consueto praedae faciendae more in ducatus finibus abstinentes, in stagnosa

cum sociis suis anno 1226 vel ineunte 1227 in Masoviam venisse. Periculosus illis temporibus et turbulentis, quae propter Vladislaos Majoris Poloniae duces totam monarchiam Polonicam turbabant, — ad quas turbas sedandas postea concilium Gasavam convocatum est — Conradus commorari potuit, aut apud fratrem Lescum Cracoviae, aut alibi esse ad colloquium aliquod habendum. Naruszewiczus autem errat eo, quod Conradum, adveniente legatione, propter seditionem procerum Minoris-Poloniae contra Lescum ab Henrico Barbato excitatam et adjutam, in terra Cracoviensi degisse refert. cf. VI. p. 226. — Seditio autem fuit anno 1225 cf. Dług. VI. 631—33. (\*)

<sup>14)</sup> (\*) Apparet eos post pugnam ad Brodnicam factam saepius quam antea in terram Culmensensem et Masoviam incurrisse. Quae vero crebrae incursiones apud Watterichium memorantur, eae argumentis non possunt firmari. Illud tamen constat, papam, quamquam Prussi non ante ipsum illud tempus terras Christianas vastarant, adhortatum esse omnes ad auxilium oppressis ferendum, cum omnes incursiones, quae adhuc erant factae, complecteretur, et rem in summo periculo versari appareret. Sic scribit papa (ap. Rayn. s. a. 1232 §. 6. aut 7.) ad praedicatores: „pueros necant (sc. Pruteni) quosdam infigendo verubus, quosdam ad arbores allidendo. Quid ultra? ipsi ferarum more humanum sanguinem sitientes in contumeliam creatoris.... illa fidelibus infigunt iacula tormentorum, quae stuporem afferunt cogitata et potius fletus materiam offerunt, quam relatus.“ Cujus generis mihi esse videtur tota bulla cf. Voigt. Cod. P. I. Nr. 5. — Cf. Roepell p. 433. (\*)

impenetrabiliaque domicilia quam celerrime se reciperent (Luc. Dav. II, 19).

Cum Conrado duce ex locis remotis domum reverso et cum Masoviae proceribus, maxima cum felicitate Conradus Landsbergius condiciones composuit; nam et jam pridem, ut supra commemoravimus, Masovienses omnes ordini Teutonico, nondum experta ejus virtute confidebant — et summa admiratione legatorum virtute recenti mota, omnium oculi in eum conversi sunt, — virtute dico, qua ab infidelium inevitabili flamma ferroque tot pagos, villas, urbes, ecclesias claustraque servata videbant. — Tarde tamen procedebant condiciones<sup>15)</sup> (quod aliter in rebus tantis vix fieri solet) quamquam dux libenter omnia concedebat ordini etiam libentius omnia accipiendo parato, quamquam dux quam citissime salutare affectavit ferro armatam fratrum aciem cupidorum, sine dubio, nuntii, qui eos ex „omnium rerum hujus mundi affluentem“ in terram vocaret „horroris, vastae solitudinis et bello durissimo plenam.“<sup>16)</sup> Tarde inquam, condiciones procedebant, in quo intervallo callidus ille internuntius non habens, quo caput deponeret<sup>17)</sup> neque sufficientem numerum, ut manu armata locum in terra promissa occupare auderet; ducem, — ut possideret aliquid, quod, quominus condiciones evanescerent, impediret, — obsecravit: sibi ut in sinistra Vistulae ripa arcem aedificaret, unde Vistula inter se et hostes posita, cum Prutenis bella caute suscipere posset. Parvulum hoc castrum, a Conrado duce aedificatum,

<sup>15)</sup> Conradus Landsbergius cum sociis duos fere annos opperitus est Hermannum Balcum in Masovia: exeunte enim jam anno 1226 venit in Masoviam. Balcus autem vere anni 1228. cf. Voigtii II. 168. et 184.

<sup>16)</sup> Verba Dusburgii: p. II. c. VIII.

<sup>17)</sup> Dusb. ibid.

et ab Landsbergio et sociis, Vogelsang appellatum,<sup>18)</sup> fundamentum initiumque fuit futurarum ordinis possessionum, in sinistra potissimum Vistulae ripa sitarum, quae maximam inter Polonos et Cruciferos contentionis materiam praebuerunt.

Tum demum,<sup>19)</sup> castro Vogelsang constructo, persuasum habet Landsbergius sinceram esse ducis voluntatem, mittitque ad de Salzam, qui de justis privilegiis, quae Conradus daturus sit<sup>20)</sup> referant deque suis actionibus — quique ab

<sup>18)</sup> De cujus castris situ cf.: Voyages de Guillebert de Lannoy sous l'année 1412 (dans 1413 et 1414) apud Lelewel: *Rozbiory dzieł. Pozn. 1844 p. 390*: „Et de la fus mene sur le riviere de le Wisle a une lieue de Thore en une f'slette, ou jadis, du temps que tout le pais de Prusse estoit mescreant, les seigneurs des blans manteaux de l'ordre de Prusse firent leur premiere habitation sur ung gros fouellu arbre de quesne, assis sur le bort de la riviere, ou ilz firent ung chastel de bois et le fortifierent de fossez autour, arrousez de la dicte riviere, dont depuis par leur vaillance a l'adye et retraitte du dit chastel conquirent tout le pais de Prusse et le mirent a nostre creance. Et est ce lieu la nomme *Aldenhoux* (?).“

<sup>19)</sup> Facta sunt haec verisimillime exeunte anno 1227 cf. Voigtii II. 184.

<sup>20)</sup> Voigtii II. 171. affirmat: Landsbergium promissiones has et conditiones, ducem, uxorem filiosque ejus a. d. IV. Kal. Jun. (die 29 Maji) 1226, testibus fide dignis praesentibus, scribere, subsigillare subscribereque jussisse. In adnotatione nimia diligentia appellat hanc fictam rem non privilegii nomine, sed: „die erste eigentliche Zusage.“ Adnotatio vero ejus corrigit: „sobald man den Dusburg richtig versteht“ ut Voigtii in introductione adnotationis monet. Nos vero quidem addimus: si attente legas. Si igitur Dusburgium II. c. V. attente legerimus et intellexerimus, persuasum nobis erit, Dusburgium conditionum argumenta et testes preferentem, excripsis ea omnia ex privilegio Kruszwicae mense Junio a. 1230 dato, quod quoniam maximi est momenti remigio veloque, ut dicunt, ante omnia pacta collocavit. Et quamquam Luboviam (quae terra in illo privilegio non nominatur) addidit, ex testibus autem duos praeteriit nominaque depravavit (cf. Dog. IV. Nr. 10) nihilominus tamen privilegium illud ante

eo auxilia fratrum peterent. Hermannus preces ejus exaudivit fratremque ei Hermannum Balcum misit magistrum, dicens ei, ut Josuae Dominus: „comfortare et esto robustus tu enim introduces filios Israël i. e. fratres tuos in terram quam pollicitus est eis Dominus et Deus erit tecum.“ (Dusb. II, IX.) Praeterea alios cum multis armigeris et equis proceres misit, qui Masovia nacta, sine dubio ea de causa, quod castrum Vogelsang eorum numerum moenibus et lectis recipere non potuit, aliud castrum in Vistulae descensu, Nessoviam, exstruxerunt.

(\*) In tempore constituendo, quo Balcus in Masoviam cum majore ordinis exercitu venire potuerit, *ordinis traditionibus* et documentorum verbis credendum esse putamus. Ex traditionibus autem Cruciferi dicuntur alteram ordinis arcem, Nessoviam, ad Vistulam ipsi aedificasse *post adventum Hermannii Balci in Masovia*. Documenta contra Conradum referunt jam *anno 1230* ordini donasse arcem Nessoviam. Cum in tam exiguo temporis spatio arx exstrui non potuerit, necesse est Balcus jam ante annum 1230 advenerit. Praeterea in documento „Clara Tumba“ inscripto testes inveni-

oculos habuit, nam et argumenta inter se conveniunt, et ordo idem est in testibus enumerandis — et haec res opinionem nostram affirmat, quod Guntherum appellavit episcopum. — At Guntherus anno etiam 1228 se electum ep. Ploc. subsignat, non potest igitur duobus annis ante i. e. anno 1226 episcopus esse. — Anno demum 1228 a papa in munere suo confirmatus est. Nobis videtur in animo habuisse Voigtius etiam hoc loco deridere scriptores Polonicos. Sed scriptores Polonici jam ante eum hac de re tractantes rectius intellexerunt: cf. Naruszewicz ed Lips. VI. 227. in adnotatione; VII. p. 3. in adnot. 4. — Ceterum Voigtius sibi ipse hoc loco repugnat, cum II. 184. in adnot. I. Nr. 1. dicat: Conradum anno demum 1227 Hermannii de Salzae nuntiis confirmasse justa se iis privilegia esse daturum.

untur Henricus Bohemus et Conradus monachus, — et Dusburgius (II, IX.) duos Henricos et unum Conradum *qui Camerarius fuerit S. Elisabethae* inter comites fuisse Hermanni Balci, prodit, in Prussiam euntis. Neque Gregorius IX. papa die XIII. Septembris anni 1230 hoc modo de rebus a Cruciferis in Prussia gestis potuit loqui: „et licet idem dux ordinem fratrum hosp. S. M. Theutonicorum in *terram suam* ad Christianorum auxilium introduxerit, *et cum ipsius ordinis fratribus ibi existentibus Deus misericorditer operetur contereudo per eos mirabiliter sui nominis inimicos*“ — nisi jam diu cum Prussia pugnassent. Cf. Rayn. 1230. §. 23. Nuntius autem rerum ab iis gestarum non potuit jam XIII. die Septembris ad papam perlatus esse, si exeunte Martio mense in Masoviam advenerant, et ante bellum, arcem sibi exstruxerant. — Eadem ordinis traditiones referunt, Cruciferos, post arcem Nessoviam exstructam, ante inceptam anno 1231. expeditionem, in hac arce commemorantes, (Dusb. II, IX. „in quo castro dum fratres *habitarent*“) cum Prussia pugnasse. (\*)

### PARTICULA TERTIA.

*Ab Hermanni Balci in Masoviam adventu usque ad Conradi privilegium Kruszwicæ datum.*

Hactenus gradatim parvulis tantum cum mutationibus Cruciferorum historiae quasi parentem, Dusburgium, sequi potuimus. Nunc autem relinquamus eum necesse est, quippe qui in narratione sua trium omiserit annorum spatium; in quo primæ Conradi et Cruciferorum conditiones sunt stabilitæ. Per hanc Dusburgii lacunam ad ulteriorem ejus narrationem et multa nos perducunt et obturbantis longitudinis

privilegia a duce Conrado et Prussiae episcopo Cruciferis data, quorum ille summus Culmensis terrae dominus, hic multorum ibidem bonorum haeres tantum erat. Per quam documentorum turbam via nobis est facienda, sed et caute et provide et omnibus auxiliis adhibitis, ne, quam alii, sartagine faciamus. Priusquam igitur in hunc documentorum Labyrinthum quasi ingrediamur, in limine nobis reliquendum est glomus, ne ipsius intima omnia perscrutantes nos amittamus, neve Labyrinthum ingressi et relinquere eum cupientes id, quod aliis accidit, parietem aliquem, ut evertamus vique viam nobis paremus, cogamur. Noster quidem dux erit non Masoviensis ducatus et Cruciferorum historia, sed universalis quoad necesse erit historiae filum; filum dico historiae et Masoviensis et cujuscunque ducatus Polonici, et rerum a Cruciferis, et ab imperatore, papaque gestarum. Clarius etiam nostra narratio elucebit, quum privilegiis his ordine collocatis demonstraverimus, quo quodque loco sit ponendum; neque privilegiorum horum verba solum, inde a primo usque ad ultimum versum, sed sensum potius uniuscujusque et omnium in universum, sententiamque eorum, qui ea illi ordini tribuebant,<sup>1)</sup> sed non sententiam commentariosque eorum, qui accipiebant, perscrutabimur.

Quum igitur Balcus non parvo cum numero armatorum in Masoviam venisset, a duce promissum poposcit privilegium,<sup>2)</sup> quod Conradus dare festinavit; et conventu Masoviensium convocato,<sup>3)</sup> libenter approbaverunt et saeculares et ecclesiastici proceres ducis privilegium Cruciferis datum,

1) Cf. Roepell. I. 443. adn. 38 b.

2) Cf. Voigt. II. 182. squ.

3) Dusburg. II. c. V.

continuumque usum terrae Culmensis, — et villae Orłowo in Cujavia sitae, donationem. — Eodem fere tempore, duabus dumtaxat hebdomadibus post, a Christiano quoque, Prussiae episcopo, privilegium impetrant, quo iis hic apostolus Prussiae bonorum „quae iis dux licite conferre potuit“ decimas donavit.

De quibus privilegiis omnino alia continentibus, quam quae scriptores rerum a Cruciferis gestarum plerique tradunt, nobis hic pauca ex proposito sunt dicenda.

Ducis privilegium <sup>4)</sup>, Bresciae ante diem IX. Kal. Majias (die 23 April.) scriptum, continet omnia, quae iis Friderici privilegio, anno 1226 dato, donaturum se esse promiserat: scilicet *omnes* usus, et *omnia* <sup>5)</sup> jura terrae Culmensis, quae est inter ipsius ducatum et Prutenorum confinia sita, et aliam haereditatem, id est villam, quae Orłowo nominatur, quaeque tria miliaria ad summum a Vistula distabat. <sup>6)</sup> Quod

<sup>4)</sup> Dog. IV. Nr. 5. Dreg. 71. — AB. I. p. 394. — Hennes Cod. d. o. S. M. T. 73. cct.

<sup>5)</sup> „Omnia“ scilicet ipsi pertinentia. — (\*) In quo documento id non est negligendum, qua ratione Conradus loquatur. Nullam de finibus donatae terrae facit mentionem, id quod factum videmus in privilegio anni 1222 ab ecclesia Plocensi, et videbimus factum in privilegiis recentioris temporis. Hic Conradus ita: „terram Colmen cum omnibus attinentiis suis.“ Capitulum Plocense autem anno 1222, cum de universa terra Culmensi sermo fieret, hoc modo dixit „in praedicto Culmensi dominio“; dux vero anno 1230 de eadem hoc modo: „totum ex integro Cholmense territorium cum omnibus suis appendentiis.“ Atque insuper ut capitulum ita Conradus territorii fines attulit. Quid? Num haec verborum discrepantia nihil habet momenti? Minime vero. Immo hoc documento Conradus tantum ea Culmensis territorii donat, quae ei licuit donare neque est probanda sententia, ex qua eum totum, intra Vistulam, Ossam et Drwanzam situm territorium, dare voluisse existimant quidam. (\*)

<sup>6)</sup> Villa haec est illa privilegii anni 1226 „alia terra.“ Quae quoniam a Cruciferorum in terra Culmensi sitis possessionibus remotior et non pro-

privilegium paucis, fere omnia continet ea, quae multis posteriora dicunt. Nam hic et haeredum Conradi universa approbatio, et procerum Masoviae subscriptio et, quae in posterioribus frustra quaeras, fratrum Conradi, hoc est Poloniae ducum, affixa sigilla. Hoc unicum privilegium non insciis monarchiae reliquis ducibus confectum est, cetera autem privilegia Conradus ipse Cruciferis tribuit, quam quidem rem maximi esse momenti censeo. Ex nominum subscriptione tam multorum Masoviae procerum effici cogique potest, ut Conradus concilium convocaverit, cujus ecclesiastici saecularesque senatores ceterique omnes in pleno hocce privilegium subsignaverint. Si nobis in animum induxerimus ea, quae Cruciferis a Conrado donanda erant, pernecessarius nobis et hic conventus, et procerum approbatio apparebit. Conradus enim, cum terrae Culmensis haereditates nonnullas cum omnibus juribus iis donat, tum villam Orłowo, quae sine dubio non omnia ipse possidebat; ut certe unusquisque subscriptorum quaedam de suis possessionibus in illa terra amitteret. Ex quibus omnibus apparet: privilegium illud minoris esse momenti, quam posteriora, tantum quod ad longitudinem attineat.

prie „inter marchiam suam“ (sc. Masoviam) „et confinia Prutenorum sita erat“: duobus annis interlapsis e Conrado Nessoviam et quatuor alias villas elicerunt, quae una cum terra Culmensi vere inter Masoviam et confinia Prutenorum jacebant, (\*) et Cruciferi, id quod nostrum collocandi verbum subauditum affirmare videtur, initio hic in hac „alia terra“, non in Culmensi, sedes capiunt. Ordini non fuisse donatam Luboviam, neminem effugerit, qui attento animo et sine studio, documentum in Cod. Voigt. I. Nr. 51. et in Codice Muczkowski II. 2. Nr. 441. perlegerit. Si a Conrado Luboviam duodecim ante annis accepissent Cruciferi, procul dubio mentionem ejus donationis fecissent. (\*) — Villa Orłowo est prope viam, Junivladislavia Thoruniam ducentem, sita. Cf. Mappa W. X. Poznańskiego przez W. Kuratowskiego. Pozn. 1843.

Privilegium speciale<sup>7)</sup> de villa Orłowo anno 1229. a Conrado datum, nihil novi habet. Excepto Michaëli episcopo Cujaviensi, cujus in dioecesi villa Orłowo sita erat et Gunthero epo. Masoviensi, nullus testis invenitur subscriptus, nec designatus locus, nec definitum tempus, quo datum sit privilegium.

Christiani privilegium<sup>8)</sup> datum est Clarae Tumbae a. d. V. Nonas Majis (die 3. Maji), ergo duabus fere hebdomadibus post diem, quo Conradus suum privilegium dederat, praeterlapsis. Hac potissimum de causa magni est momenti, quod, quid Conradus Cruciferis dederit, certiores nos facit his verbis: „Ego Christianus..... contuli militibus de domo Teutonica..... decimam in territorio Culmensi in iis bonis, quae dux Conradus Masoviae et Cujaviae praedictis militibus, salvo jure nostro, licite conferre potuit.“ — Summam super terram Culmensis potestatem<sup>9)</sup> Conradus „salvo episcopi jure“ in Cruciferos conferre potuit — sed omnes terrae Culmensis haereditates, quarum multae Christiani erant, iis cedere „salvo episcopi jure“ in Conradi potestate

<sup>7)</sup> Voigt. Cod. Pr. I. Nr. 22. (\*) Cum Orłowo ab aliis possessionibus prorsus discerneretur, Conradus de hac possessione sola documentem conficeret necesse erat. Eodem modo se habet donatio Dobrinensibus data. Cf. Dog. IV. Nr. VII. et Voigt. Cod. I. Nr. 19. (\*)

<sup>8)</sup> Dog. IV. 6. — AB. I. p. 395. — Dreg. 70. — Hennes 74. cet. — (\*) Quomodo Watterichius tam perversam annotationem 94. scribere potuerit, intelligi nequit. Ne eum cogamus, ut libros evolvat a Polonis Latine vel Polonice scriptos (Dług. ad. a. 1226. Damal. Series Archiep. p. 129. Bałiński Starożytna Pols. II. 66. — Starożytności Polskie II. 139.) cf. de Spruner Atlas secundae edit. Deutschland Nr. XIII.; Nordische Reiche Nr. IV. et IX. ubi de situ Clarae Tumbae melius possit edoceri. Nihil est locus ille Sommersbergii a Watterichio *false* transcriptus ad *situm* Clarae Tumbae definiendum. (\*)

<sup>9)</sup> Cf. Roepell I. 443. adnot. 38. b.

non erat: inde, — Cruciferi enim sine dubio totum dominium Culmense, proptereaque ejus possessiones affectabant — haec episcopi conditio. Qua ex conditione efficitur, ut Christianus in hoc privilegio non summum imperium terrae Culmensis Cruciferis a Conrado datum intellexerit, sed quorundam terrae Culmensis bonorum collationem tributam. — Et quum Christianus melius quam omnes posterius rerum a Cruciferis gestarum scriptores scire posset, quid Conradus in Cruciferos conferre et potuerit et voluerit, credamus verbis ejus, pospositis eorum sententiis, qui contendunt, Conradum Cruciferis summum totius Culmensis territorii imperium, jam primo privilegio suo, donasse. — Neque vero inter testes privilegii Conradiani invenitur Christianus, ad quem privilegii accipiendi causa legati Cruciferorum iter erat faciendum.<sup>10)</sup> Nonne ab initio statim episcopus consilia eorum perspexerat ideoque, quamquam procul dubio adfuit conventui, urbem reliquerat, ne cogere, ut Conradi privilegio nomen suum subscriberet? Post undecim dies ille quidem ipse iis privilegium dedit, sed privilegium morosae laconicaeque brevitate et insuper in arctos fines adstrictum.<sup>11)</sup>

10) (\*) Si tantum parvam grammaticae notitiam privilegii hujus scriptori tribuimus, verba „legati Prussiae“ non possunt significare legatos, qui in Prussiam, sed qui ex Prussia veniunt, hoc loco autem legatos, ab exercitu ordinis in Masoviam ducto, missos ad Christianum, ad Cracoviam comorantem. (\*)

11) (\*) Hanc Christiani donationem non sustulisse Conradi, sed esse jacturam, quam Christianus reparare debuerit, ne ecclesia Prussiae damnum capiat, apparet ex Damal. Ser. Archiep. Refert enim p. 138. Christianum anno 1228 „bona Dobrowo . . . de consensu generalis capituli (Cisterci) ad vitae suae tempora recepisse.“ Annus vero 1228 reperitur simplici ratione. Quae bona, quum Christianus jam ante annum 1228 possedisset, usque ad hunc annum in aliquod tempus possessa, postea vero in totam vitam concessa ei videntur. (\*)

Quod utrumque et ducis et episcopi documentum omnibus minutis formulis, omnibus explicationibus exiguorum jurum, quibus uti recentibus acquisitoribus erat licitum, omnibus his denique caret parvulis partibus, quae in posterioribus inveniuntur. Sine dubio et dux Masoviensium et conventus non decere putabant de fide ambigi ecclesiasticorum, in bello tam fortium, domi tam modestorum militum, quales essent Conradus Landsbergius ejusque socii, non decere ejusmodi cautionibus suam iis tam inurbanam dubitandi obstinationem prodi.

Verisimillimum est, Balcum, his privilegiis acquisitis, praecipue imperatoris approbatione fretrum, secundum mandata egisse cum duci, antequam intellexisset animum ejus animadvertissetque, quam haberet conditionem ad alios monarchiae ducatus, proposita non occultaret, quibus Cruciferi terram intrassent Polonicam. Non prodidit memoriae nostrae historia, quid Conradus Cruciferorum propositis exploratis, moliri constituerit, sed vestigia reliquit, quae nobis conjicere permittunt Conradum sibi proposuisse, ut ad alias conditiones subeundas eos commoveret. — Ad quae vestigia pertinet primum larga territorii Dobrinensis donatio ordini Dobrinensi data, duobus mensibus<sup>12)</sup> post donationem Balco datam facta, quam Conradus Dobrinensi ordini tum solum probabiliter largiri potuit, si cum Cruciferis distrahi vellet; — deinde ratio et natura sequentium Conradi et Christiani privilegiorum, quae demum post duos annos<sup>13)</sup> Cruciferi impetraverunt. Per quod biennium Conradus fortium avorum suorum dignitatem hac certe ratione conservabat, quod cum Cruci-

<sup>12)</sup> Dog. IV. Nr. 7. III. Non. Jul. (die 4. Julii) 1228. — Dreg. 72. AB. I. p. 396.

<sup>13)</sup> Initio anni 1230.

feris, quos et pietate erga Deum et misericordia commotus in terras suas receperat, velut par cum pari agere noluit.

Quum causam afferre claram non possimus cur tam longum praeterlapsum sit tempus inter primum et alterum Conradi privilegium, nisi et monarchiae Polonicae illo quidem tempore statum, et imperatoris res gestas paucis verbis adumbraverimus, in hanc partem oculos convertamus.

Polonia jam diu bellis exagitabatur, atque omnia mirum turbata jacebant. Proceres uniuscujusque ducatus inter se certabant, conjuncti autem ducem ejusque jura invadebant. Duces vero societatibus inter se initis continua gerebant bella. Ita Vladislaus Odonis foederatus Swentopelco adversus Vladislaum Lasconogium junctum cum Henrico Barbato, Lescus cum Conrado adversus Henricum, Swentopelcus solus, Conradus sine dubio ordine Dobrinensi adjutus adversos Prutenos pugnat. Rixarum pleni conventus sequuntur perniciose bella, conventus<sup>14)</sup> autem insidiosae incursiones. Quae quidem tumultuosae perturbationes periculorum multorum fuerunt causae, quae pericula infirmum Conradum ad ineunda de convocandis Cruciferis colloquia movent, et dum hac de re cum Conrado Landsbergio agitur, Lescus Albus XIX. Kal. Dec. (die 14. Nov.) anni 1227 interficitur.

Quod inopinatum factum alios graviter commovet, alios

<sup>14)</sup> In ejusmodi conventu, quod „colloquium in Scarsovia“ (qui est pagus in regione Radomiensi in finibus Sandomieriensibus et Masoviensibus) appellatur, mense Martio anni 1228 habitu inter Grimislavam, viduam Lesci Albi et Conradum Masoviensem, praeter alios testes Christianus Prussiae episcopus, affertur, id quod eum usu procerum Polonicorum delectatum esse probat libenterque esse commoratum ad Cracoviam. Cf. Cod. dipl. Polon. Muczkowski et Ryszczewski cet. I. Nr. 19.

magno perturbat timore — ex manibus autem omnium excutit gladios, fratrum caede hebetatos. Quo factum est, ut omnes partes in pace perseverarent usque ad sequentis anni aestatem. Per totam autem hiemem usque ad ver, longum Conradus habuit temporis spatium, quo animum posset speralere blanda, se cum tutela infantis nepotis sui, ducatu Cracoviensi, quocum erat juncta suprema totius monarchiae potestas, esse potiturum. Interim vere 1228, sine dubio quum jam Conradus congregatas habuisset copias, quibus splendidissima illa somnia exsequeretur,<sup>15)</sup> — quum de tota Polonia brevi tempore subjuganda et nutui suo obediente somniasset: obviam ei Hermannus Balcus venerat, impetratoque privilegio, Friderici scriptum, inter alia id asserans, demonstravit: Conradum, (futurum Lechiaie dominum,) imperatoris devotum, ducatum autem ejus sub monarchia imperii contentum, vetus et debitum jus imperii esse. (\*) Hoc modo duo anni intermissi sunt inter pactiones cum ordine factas: Conradus noluit tales condiciones accipere, Hermannus autem Balcus non potuit eas mutare. (\*)

Somnia vero sua Conradus gerendis bellis missa fecit.

<sup>15)</sup> (\*) Watterichius (p. 52 — 53.) bellum Henrici et Conradi de principatu hieme anni 1227 gestum esse censet, Conradumque ante diem XXIII. Aprilis anni 1228 Henrico potitum esse. Sed illud bellum non potuit ante ver anni 1228 suscipi, cum Henricus, die XIV. Novembris anni 1227 *graviter* vulneratus antea deberet revalescere. Cf. Sommersbergii Script. II. Boguphal p. 57.: „Henricus vero dux praedictus ibidem..... *graviter* vulneratur.“ Stenzel Scriptores rerum Siles. I. 19.: „et dux Heinricus in lecto *multis vulneribus affectus*.“ — Ibid. p. 26. „et Heinricum ducem Silesie adhuc lecto pausantem, *multis vulneribus concussum moribundum derelinquunt*“ cet. — Ibid. 102. „et Heynricus Barbatus in lecto quiescens *graviter vulneratur, qui et similiter occisus fuisset*, si etc.“ — Ibid. 103.: „Sed relicta Lestikonis..... principem Heynricum cum barba, *factum jam sanum protinus advocavit cet.*“ (\*)

Nam ineunte aestate statim turbarum bellicarum sonitus personat, gladii micant, et fortes bellatores in sexcentis pugnis proeliantes, morti se offerunt pro tutela Boleslai Pudici, quam sibi dux Masoviensis et Henricus Barbatus arripiebant. In initio belli adversa dimicabant Masovienses fortuna, ita ut complures clades, quarum duae majores erant, acciperent. Cum occulto odio reversus domum Conradus, novis viribus novam auctumno incursionem facit; <sup>16)</sup> tanta cum velocitate, quanta ventus auctumnalis, Minorem Poloniam percurrit, qua cum potitus esset, expellit Silesios — quique effugere non potuerunt, eos cum Henrico Barbato captivos abducit. <sup>17)</sup> Velut remota vocis imago tales fiunt tumultus in Majori Polonia, in qua cruenta bella gerunt varia fortuna, avunculus Vladislaus Lasconogius cum nepote Vladislao Odonis, bella inquam, quorum exitus nepoti secundus avunculum ad fugam capiendam coëgit. <sup>18)</sup>

Sed ut ad Cruciferos revertamur: per hoc totum tempus

<sup>16)</sup> (\*) Inter primum et secundum bellum Henricus filium cum exteris copiis in Silesiam mittit. Cf. Stenzel l. c. p. 20—21. „et cum pius princeps Henricus jam velut adversario evicto, securior existeret, exercitu alienigenarum cum filio suo ad propria remisso cet.“ Cf. p. 26. et p. 103. (\*)

<sup>17)</sup> Dimissus captivitate est exeunte anno 1230 cf. Naruszewicz VII. 10. (\*) De spatio captivitatis locos Stenzelii citatos legendos esse censemus, ubi de novo Henrici Pii apparatu ad bellum instituendo traditur. Practerea locum exscripsimus ex „vita S. Hedvigis, Stenzel l. c. II. p. 13: „nam dum detentorem predictum *multis tractatibus habitis congruisque exhibitionibus intercedentibus* nullus inducere posset, ut ducem captivum dimitteret, inventum est consilium, quod suorum manus valida populorum armis eum bellicis liberare deberet.“ Ad haec omnia perficienda tempore opus erat, atque perfectis rebus, Hedwigis se contulit ad Conradum. Recte igitur Narusz. VII. 10. contendisse videtur, captivitatem ad exeuntem usque annum 1230 permansisse. (\*)

<sup>18)</sup> Cf. Roepell I. 424 — 426.

compressis, ut dicunt, manibus, Hermanus Balcus cum copiis suis in castris Vogelsang et Nessovia, in sinistra Vistulae ripa situs, consedit. Misit sine dubio quam celerrime potuit ad Hermaunum de Salza legatos, qui ei nuntiarent, qualem effectum Cruciferorum consilia in ducis animo progignerent ab eoque consilia in futurum peterent.<sup>19)</sup> Non potuit tamen tam celeriter quam et ipse et fratres sui optabant, responsum accipere, nam Salza illo tempore cum Friderico imperatore expeditione in Palaestinam suscepta, occupatus fuit. Quam expeditionem Fridericus, jam a. d. III. Kal. Octob. (die 29. Sept.) anno 1227 excommunicatus, mense tandem Augusto a. 1228 inivit, simulans se votum saepenumero antea ecclesiae factum explere velle. Quamquam ignotum fuit Gregorio papae Fridericum imprimis et desiderio augendii imperii sui et turbis in oriente exortis commotum, expeditionem hanc inivisse, tamen non absolvit eum excommunicatione.<sup>20)</sup> Hierosolymis recuperatis Fridericus exercitum perduxit in Italiam, in qua bellum jam susceptum inter Gregorii et suum exercitum gerebatur. Bellapactionesque inter papam et imperatorem usque a. d. V. Kal. Sept. (28. Aug.) 1230 anni duraverunt, quo die papa Fridericum in ecclesiae gremio recipiendum curavit.

<sup>19)</sup> Nam secundum (De Wall): *Recherches sur l'ancienne constitution etc. de l'ordre Teutonique* I, p. 40. §. 29. et I. Chap. 12. p. 327. et sqq. non erat licitum singulis fratribus communia totius ordinis consulta mutare.

<sup>20)</sup> Cf. Raumer: *Hohenstaufen* III. 435. „Wie er aber mit seiner geringen Macht irgend etwas..... ausrichten wollte, das mochten selbst seine Freunde nicht begreifen, im Fall sie eben so wenig als der Papst und d. Abendland wussten, in welchem Verhaeltnisse er zu den Sultanen stand..... p. 436. ....er (Kamel, Sultan v. Aegypten) hatte, um eine Unterstuetzung gegen seinen, ihn damals befehrenden Bruder Moattam zu finden, den Kaiser selbst nach Asien berufen. Cf. Rueckert: *Weltgesch.* II. 272.

Pactionibus autem ex imperatoris parte Hermannus de Salza praefuit, ex quo concludi potest eum, ut in expeditione transmarina, ita in bello in Italia durante usque ad XXVIII. diem Augusti 1230, Gregorii fuisse adversarium. Itaque Hermannus de Salza, quum esset jam ab aestate anni 1229 in Italia, potuit tam diu optatam expectatamque respensionem Balco mittere. — Si vero respicimus de Salzae conditionem, quae ejusmodi fuit, ut aut papae, aut imperatoris, quorum uterque quasi vinculum erat, quo ordo continebatur, gratiam amittere posset: necessarium fuisse putamus, ut Balco obtemperantiam commendaret, ut eum omnes, qualescunque essent, conditiones accipere juberet a duce Masoviensium et eorum conventu, ab episcopo denique Prusico, atque exspectare tempus opportunum, quo quae ordo desideraturus esset bene procedere possent. — Qua ratione nobis perspicuum erit, qua de cónsa Balcus animum suum denique flexerit, et in initio anni 1230, duobus annis fere interlapsis, iterum a duce et episcopo privilegia, in quibus Cruciferi plane et articulatim pro *beneficiis* datis, non solum ducis, sed etiam episcopi Prutenici, id quod magni est momenti, „*fideles*“<sup>21)</sup> nominantur, accipere non abnuerit. Prae-

<sup>21)</sup> In privilegio Christiani haec inveniuntur verba: „ut ipsi mihi et omnibus meis successoribus sint parati, contra paganos pugnaturi;“ in utroque ducis privilegio autem sequentia: „ipsi quoque fratres *cum omni fidelitate* promiserunt mihi cunctisque meis haeredibus *secundum Deum et eorum posse* contra inimicos Christi et nostros, videlicet omnes paganos, *sine fictione et omni simulatione, etiam uno eorum superstite, una nobiscum omni tempore fore militaturos.*“ Tali aut simili formula qui media aetate vasalli dicebantur dominis se suis adstringebant: cf. Corpus juris civilis. Studio E. Osenbrueggen Lipsiae 1853. Libri feudorum. L. II. Tit. V. „(\*) Ego iuro ad haec sancta dei evangelia, quod a modo in antea ero fidelis huic sicut debet esse vasallus domino nec id quod mihi sub nomine fidelitatis

ter privilegium quo iis terra Culmensis dabatur, alterum iis, eodem tempore, Conradus in Nessoviam et quatuor alias villas dedit.

His quoque de privilegiis nonnulla nobis proferenda esse putamus.

In utroque Conradi privilegio jam minutae conditiones et jejunaes voces exponuntur. In quorum altero<sup>22)</sup> primum ducis conjunx et filii quatuor de donatione inter se consentientes nominatim sunt enumerati. Sequitur deinde finium donatae terrae exacta designatio; nonnullorum jurum enumeratio, quibus uti Cruciferis liceret; cui enumerationi, quum jam taedium afferret, adduntur verba haec: „et in caeteris quae scribi solent in privilegiis.“ Tum Conradus promittit se Cruciferos defensurum esse;<sup>23)</sup> Cruciferi contra promittunt ipsi cunctisque ejus haeredibus se contra Christi et Conradi inimicos, omnes infideles, una cum Conrado, militaturos esse. Denique subsignatorum testium sequuntur nomina, inter quae *Christiani quoque episcopi*,<sup>24)</sup> invenitur usitataque formula: „qua de causa privilegium subsigilletur.“

commiserit dominus, pandam alii ad eius detrimentum, me sciente.“ Tit. VII. de nova forma fidelitatis: „Ego Titius iuro super haec sancta dei evangelia quod ab hac hora in antea usque ad ultimum diem vitae ero fidelis tibi Caio domino meo contra omnem hominem, excepto Imperatore vel rege.“ (\*)

<sup>22)</sup> Dog. IV. n. 12. — Dreg. 79. — AB. I. p. 402.

<sup>23)</sup> „Promisi etiam, ut quicumque praedictos fratres impediret in praefata possessione, quod ego tota mea virtute defendam eos.“

<sup>24)</sup> (\*) Inter multas alias res mirandas, quas liber Watterichii praebet, hoc quoque est memorandum, quod bis Christiani, Prussiae episcopi, testis, nomen, cancellis inclusit. Nihil hac de re dixit. Et opus fuit nomen omnino tolleretur, si Watterichius impedire voluit, *quominus Christiani nomen opinioniones ipsius refelleret.* — Sententiae vero p. 76. 77. et 84. prolatae sine argumentis evidentissimus *probo viro* debent esse indignae. (\*)

De die haud certa infra dicitur. Postremum post haec omnia, in fine, Guntheri, episcopi Plocensis, sine dubio posteriori tempore subsignatum, nomen invenitur.

Alteri Conradi privilegio<sup>25)</sup> longius prooemium praecedit in quo loquitur de „consilio proborum virorum,“ de „magna necessitate urgente“ et quae privilegii causae exstiterint. Re autem ipsa ita fere est scriptum ut alterum, excepto eo, quòd conjugis filiorumque nomina non enumerantur sed in universum, eodem modo quo in privilegio anno 1228 dato, de eorum consensu mentio fit. Villis „Nessovia“ quatuorque aliis, quarum nomina prorsus sunt mutilata, et nonnullis visibus enumeratis, addita tum superioris privilegii formula: „et eorum omnium, quae in privilegiis scribi solent,“ denique sequitur causa, cur hoc privilegium a testibus subscriptum et subsigillatum sit. Postea Cruciferi pro hac quoque donatione ad „fidelitatem“ erga Conradum et ad militandum una cum eo contra infideles se adstringunt. Inter testes iterum Christianus invenitur, Guntherus vero desideratur; praeterea invenimus Heoricum sacerdotem, qui alterum privilegium non subscripserat. — In fine iterum videmus annum 1230 sine die certa inscriptum. — Verba huius privilegii haec: „pro hac *etiam* donatione sponponderunt fratres,“ nec non id, quod iidem fere testes leguntur (quamquam in praecedenti, quoniam multo majorem continet donationem major testium numerus invenitur): probare videntur, uno eodemque tempore Conradum Cruciferis hoc utrumque privilegium dedisse.

Quod ad privilegium Christiani attinet,<sup>26)</sup> potest demon-

<sup>25)</sup> Dog. IV. Nr. 13. — AB. I. 404. cet.

<sup>26)</sup> Dog. IV. 8. — AB. I. 72. — Dreg. p. 142. — Lengnich: Poln. Bibliot. 4. Stueck, p. 336. C.

strari, eum duobus annis post prius privilegium, asperitate contra ordinem sua consiliisque mutatis, commoda haereditatesque suas de terra Culmensi Cruciferis concessisse, et id quidem, ut statim probabimur, per internuntios, abbates Lendensem<sup>27)</sup> et (Wagrowieciensem) Lugnanum, non sine gravibus conditionibus. Conditiones vero ejus consignatae sunt in privilegio, quod iis ipse anno 1230 dedit, die, quo datum esset, non definito. Quod privilegium nobis indicat Christianum Cruciferis concedere omnia, quae sibi aut Conradus, aut ecclesia Plocensis donaverit, aut quae emerit, sub hac quidem conditione, ut ordo sibi suisque successoribus sit paratus ad pugnandum contra infideles, utque relinquat sibi certum terrae tractum in proprium usum, certamque frumenti mensuram quotannis de tota terra donata persolvat. Hoc privilegium, id quod jam supra diximus, intercessionis summa est abbatum de Lenda et de Lugna, qui ubi privilegium Christianus suum confecit, sequenti explicaverunt (privilegio).

Hoc abbatum privilegium<sup>28)</sup> maximi est momenti et est vere privilegium, non *πρωτόκολλον*, quale id Voigtius II, 201 habere vult: nam hac ipsa ratione omnia documenta, quae Voigtius commemorat et privilegia esse dicit, *πρωτόκολλα* sint necesse est, quia in omnibus partibus huic sunt similia. — Quod privilegium propterea tam magni est momenti, quod fusius omnibus horum temporum privilegiis de rationibus loquitur initis inter episcopum et incolas terrae Culmensis una ex parte — et inter Cruciferos ex altera: sed paulisper

<sup>27)</sup> (\*) Lenda est vicus cum celeberrimo claustro Cisterciensi ad ripam fluvii Wartae in regione Coninensi, ejus situs in *quaque* charta geographica designatur. (\*)

<sup>28)</sup> Dog. IV. Nr. 9. AB. I. 406. cct.

aliter, ac Voigtius II, 200 existimat et conditionum major est numerus, quam quem idem eodem loco affert. Quae de causa articulos singulos, deinceps illos quidem, sed paucis tantum proferamus: „Nos etc. notum facimus, quod Christianas terras, quas in Culmensi territorio pleno jure, tam in temporalibus, quam in spiritualibus legitime fuerat adeptus, Cruciferis contulit, sub iis — quas acceperunt<sup>29)</sup> — conditionibus: ut se Cruciferi obligarent episcopis Prussiae certam mensuram frumenti, quum de terra jam arabili, tum in futuro ad culturam redigenda annuatim persolvere; ut ei sexcenta aratra Teutonica hominibus locarent, vel locanda episcopo sinerent, utque ei ejusque successoribus quinque „curtes,“ quarum unaquaeque quinque aratra Teutonica contineret, in terra Culmensi darent hoc consilio, ut omnem hanc terram Christianus ejusque successores sine ullo in fratres respectu habito cuicumque vellent elocarent; ut eos, quibus episcopus quidquid de eo territorio in feudum collaturus fuerit, quiete sinerent possidere, ita ut (ii, quibus episcopus quidquid collaturus fuerit) semper erga episcopum tales esse possent, quales clientes erga dominum, et ut de „feudo“ nemini quidquam persolvere, aut cedere sine episcopi consensu cogentur; ut omnes terrae Culmensis incolae, tam feudatarii, quam ceteri, propriis impensis, semper contra Prutenos militarent eosque subjicerent dioecesi episcopi, et ut episcopi signa semper signis Cruciferorum praecederent; ut totius episcopatus homines, tam feudatarios, quam eos, qui sint sui juris et omnia, quae episcopus possideat, aut possederit et omnem ejus et successorum ejus jurisdictionem,

---

<sup>29)</sup> Litteris Gregorii IV. papae ad episcopum Misnensem (AB. I. p. 430—33) certiores finis ad pacta haec observanda jurejurando Cruciferos se obstrinxisse.

contra omnes, fideliter, consilio auxilioque omnibus viribus, omni fraude procul mota, velut propria bona, conservaturos se atque defensuros promitterent, episcopum autem quocumque ad eos venerit, debito honore velut dominum se excepturos, eique necessaria subministraturos esse;<sup>30)</sup> ut suo sumptu apud papam Gregorium IX. renovationem, — et bullarum a bonae memoriae Innocentio et Honorio papis episcopo Christiano datarum attinentiumque expeditiones crucesignatorum in Prussiam jam susceptas et in futurum suscipiendas, procurarent, et — omnium documentorum ad Prutenos spectantium. Sin autem Cruciferi promissis non staturi, aut aliquam conditionem non servaturi fuerint, episcopo licitum fore de possessionibus datis eos depellere seque ipsum in eas immittere.“ — Actum et datum Vladislaviae, — (\*) quae est urbs Cujaviae, in ducatu Conradi Masovien-sis sita (\*) — mense Januario anno Domini 1230. Tempus hujus documenti definitum effecit, ut Voigtius recte concluderet etiam Christiani privilegium Januario confectum esse, nam in initio abbatum privilegii mentionem factam esse Christianiani. Nos autem haec dies docet Conradi quoque utrumque privilegium Januario 1230. scriptum esse. — Supra jam demonstratum est Conradum utrumque privilegium eodem dedisse tempore. Ex privilegio vero Guntheri<sup>31)</sup> Cruciferis dato, in quo illorum alterum commemorat, illa ante diem XIV. Kal. Aprilis (ante diem 19. Martii) data esse apparet. Quodsi omnium horum privilegiorum summam fecerimus, si recordati erimus, Conradum „totius ex integro..... territorii Culmensis“ donationem in Cruciferos sine assensu

<sup>30)</sup> Hunc articulum Voigtius plane perperam vertit — reliqua autem prorsus omisit.

<sup>31)</sup> Dog. IV. Nr. 11. — Acta Bor. III. 263. Dreg. 78 cet.

Christiani conferre non potuisse, (plurima enim bona Christiani erant), et nihilominus in privilegio, insuper a Christiano subsignato<sup>32)</sup>, de donatione totius terrae nos legere; a Christiano dico, qui in privilegio anni 1228. perspicue dicit partem solum terrae Culmensis licere Conrado abalienare: concedendum nobis erit, nihil sententiae obstare, quominus omnia haec privilegia, impetrato episcopi assensu, uno eodemque tempore sint data. Ceterum constituere utrum Christianus privilegium suum aliquot diebus ante dederit, an prius Conradi privilegio nomen subscripserit, minoris est momenti, — quamquam etiam hic ex Christiani erga Cruciferos animi habitu concludi potest, Christianum antea animo perpendisse, quae Conradus dederit, et tum demum iis, donationem suam accomodasse. Et quum Christiani privilegia Januario mense edita sint, non possunt Conradi privilegia recentiora esse.

Qua vero de causa Voigtius de his privilegiis non ordine quo sint data loquatur, — quamquam enim in historia II, 193 prius de hoc Conradi sine certa die adscripta et postea de privilegio Kruszwicae, mense Junio dato, scribit, tamen in registis ad T. I. Codicis, sub a. 1230, prius privilegium Kruszwicense et postea hoc sine definita die servatum commemorat, — dijudicare nequimus.

Sunt igitur omnia haec quatuor privilegia Januarii 1230. anni. Conradiana in minimis tantum rebus, quod ad senten-

<sup>32)</sup> (\*) Quod alios testes attinet, procul dubio error est in verbis „Pacoslaus senior comes Dirsaug.“ aut, ut Dogie exhibet, „Dirsov.“ — Intelligi non potest, quo modo nobilis Pommeranus hic inveniri possit. Ceterum „Pacoslai jun. et sen.“ proceres sunt Minoris-Poloniae — cf. Helcel (klasztor jędrzejowski) ap. Lelewel: Polska dzieje i rzeczy jęj IV. 168. Magister Joannes est Cracoviae cancellarius: cf. donationem Nessoviae ap. Dog. IV. Nr. 13. (\*)

tiarum gravitatem attinet, a privilegio ejusdem, anno 1228. edito, differuntur: praebent majorem quidem haereditatum numerum, sed omnia Cruciferos obligant ad obsequia feudalia persolvenda, non solum duci, quem et defensorem et patronum Cruciferorum nominant,<sup>33)</sup> sed etiam episcopo, qui anno 1228. rem cum iis noluit habere, et certo coactus, aut taedio affectus, eos cum decimis eorum, quae non possidebat, bonorum, dimisit. De cessione terrarum in Prussia expugnandarum nihil in his privilegiis invenitur — nec Cruciferis pugnandi contra Prutenos, sed auxiliandi solum et duci et episcopo in bellis, contra infideles gerendis, imponunt officium. — Nullam ergo in his privilegiis mentionem facit Conradus de summo imperio Cruciferis cedendo, vel minimae terrae partis; sed tam multa jam scriptores in favorem ordinis inclinati et invidiae contra Polonicam gentem pleni de ejus summi imperii cessione, quae his privilegiis facta esset scripserunt, ut, si quis haec privilegia non perlegisset, sed illorum scriptorum dictis credidisset, fabulam illam veram esse putaret. — Quod idem etiam multis scriptoribus Polonicis accidit, qui non satis mirari vituperareque possunt Conradum, et qui Cruciferorum arcessendorum et auctor et hortator habebatur, Christianum.

Non tam diu augendorum postulatorum occasio Cruciferis deerat. Clientela Boleslai Pudici et Henrici custodia Conradum, qui Cruciferorum postulatis, ut cederet, cogi non potuit, satis fortem in aliquod tempus effecerunt — elucentque, quare Cruciferi initio anni 1230. condiciones et officia „vasallorum“ acceperint. Sed et eadem clientela et Henrici custodia et imperium ducatus Cracoviensis super Conradi capite nubes concierunt, quarum fulgura imminetia metuens — aliquot men-

<sup>33)</sup> Cf. adnot. 23.

sibus interlapsis Cruciferorum precibus annuit, fortasse etiam illorum minis. „Masoviensis natura rudis et acer“<sup>34)</sup> pro pere suorum, ducatus Cracoviensis subditorum, animos in se exacerbavit. Henrici in custodia habiti filius, Henricus Pius, patris amore ductus, et ex hoc rerum statu commodum quaerens, bello ei minatur idque diligenter molitur.<sup>35)</sup> An solis Cruciferis Conradi afflictior conditio ingnota esse potuit? Cruciferis inquam, qui omnia omnium primi scirent, et quae nova acciderant remotissimorum regnorum principibus defferrent? Cum his praefecto esset Conradi conditio nota, verisimile est, eum non solum precibus sed etiam minis, ut nomine suo subsignato, privilegium<sup>36)</sup> Kruszwicense confirmaret iisque daret, ab iis commotum esse. Quod quamquam non multo majora commoda et dona Cruciferis praebet quam illa, de quibus supra dictum est privilegia, potest tamen muliebri sua garrulitate ita lectorem confundere, ut censeat, Conradum omnino terrae Culmensi renuntiasse, Cruciferisque eam, quae superiorem non agnoscat, hujus terrae condonare voluisse potestatem. — Sententias eorum qui Conradum in Cruciferos, privilegio, Kruszwicae, Junio mense 1230. dato, contendunt summam potestatem terrae Culmensis contulisse, omni egere argumento jam Roepellius I, 440. sqq. perlucide demonstravit, polonicaeque historiae non plane ignaris quam evidentissime persuasit, Conradum in gratiam Cruciferorum juribus solum renuntiasse, quae ecclesiis et ecclesiasticis societatibus a ducibus Polonicis donari solebant. — Et quamquam Cruciferi posterioribus temporibus

<sup>34)</sup> Naruszewicz: Tom VII. p. 5. §. IV.: Mazur z natury twardy i popędliwy, jednym dobra pozabierał, drugich powygniał.“

<sup>35)</sup> Cf. Stenzel: ll. ce.

<sup>36)</sup> Dog. IV. Nr. 10. — AB. I. p. 66—72. — Dreg. Nr. 80. — Lengn. l. c. p. 330. B. Datum est mense Junio a. 1230.

aliter sibi privilegium hoc interpretabantur, eosque illis faventes scriptores sequebantur: non tamen haec res invertit eam, quam iis Conradus contribuerat, vim. Hac igitur priore privilegii parte copiosius repetit Conradus, quae in eos prioribus jam privilegiis contulerat.<sup>37)</sup> Sed insuper dedit iis hoc privilegio etiam aliquantulo plus et haec est prima usuum cessio in terris a solis Cruciferis in Prussia expugnandis, obligatque se etiam de his donis eorum patronum velle esse. — Acquirendas in Prussia terras confert in eos Conradus (si omittimus vana verba formulasque in privilegiis usitatas) „cum omni et integro jure ac libertate superioris praemissae donationis.“ Ceterum privilegii hujus conditio, quae ad terras Prussiae expugnandas attinet, valde astute a Cruciferis est composita. Nam quamquam primum cessionem eorum, quae *ipsi* a Prutenis adepturi fuerint, impetrant, et de defensione hujus terrae per Conradum cavent, nihilominus obligant se deinde ad debellandos Prutenos, una cum Conrado. Conradus, qui tempore illo intelligere non potuit Cruciferos sine ipsius auxilio quidquam in terra Prussiae occupare posse, non habuit recusandi causam quippe qui, Cruciferis ad auxiliandum ipsi in bellis contra

---

<sup>37)</sup> Confert hic Conradus iterum in eos: „*possessionem omnium praedictorum, et aliorum omnium, quae in privilegiis largitionum in favorabiles quaslibet personas vel loca, in favorem, commodum et cautelam eorum, quibus confertur conscribi solent aut possunt, ita ut beneficium meae collationis largissimum ad omne commodum, honorem et utilitatem domus et fratrum recipiat interpretationem*“ — obligat se „*ad observationem et defensionem omnium supradictorum..... auxilium et consilium bona fide promittens.*“ — „*Fratres quoque praedicti bona fide repromiserunt mihi haeredibusque meis secundum Dei honorem et amorem, contra Prutenos, et alios Saracenos nobis conterminos..... quamdiu hostes fidei sunt et inimici cultus Christi, assistere, et sine dolo ac fictione una nobiscum omni tempore militare*“

(\*) cf. annot. 21. (\*)

Prutenos gerendis obstrictis, terras tamen Prussicas, in ditionem suam redigendas, sibi reservasset. — Nam de cessione aliqua terrarum communiter expugnandarum nulla fit mentio. Ceterum quis potest negare, cum sana mente pugnare, si Conradus, quae, a Cruciferis adjutus, in terra Prutenorum expugnaturus fuisset, ea cuilibet se concessurum esse promitteret. — Quo in privilegio praeterea alia particula invenitur, quae ad Prutenos spectat, quae quamquam maximi est momenti, propter brevitatem tamen, opinor, harum rerum scriptores inter vana et multa alia verba plane effugit. Conradus enim cavet de Cruciferorum auxilio contra Prutenos tamdiu tantum „quamdiu hostes fidei sint et inimici cultus Christi.“ Et Cruciferi ipsi demonstrant, quanti hanc particulam aestimaverint primum eo, quod prohibuerunt, quominus ultro Pruteni se ad fidem Christianam verterent, ut longius contra eos pugnare eosque despoliare possent, tum vero eo, quod impediverunt, quominus Polonici duces bella contra Prutenos suscipere<sup>38)</sup>

Progressi sumus aliquantulum in narratione ne nimis animos, tum in Christianum, tum in Conradum, divertamus — et propterea revertendum nobis est a mense Junio ad Martium, quo mense ante d. XIV. Kal. April. Guntherus ep. Plocensis et capitulum Plocense — in cujus nomine V. canonicus Plocensis subsignatus est — in Cruciferorum usum, paucis reservatis, omnibus juribus suis in terra Culmensi renuntiat.<sup>39)</sup> Quo vero pacto, Guntherus et ejus capitulum

<sup>38)</sup> (\*) Testium vero nomina Watterichius minime accurate attulit: pro „Mislic“ enim Michael ponendum est; pro „Arnoldus“ melius apud Dog. legimus „Barvoldus.“ Etiam in documento, quod extat apud Muezk. II. 2. 437. legitur Bervoldus quidam, praepositus, in fine subsignatus. Ante Pacoslai jun. nomen, Dog. exhibet etiam Pacoslai senioris.

<sup>39)</sup> Cf. annot. 31.

in terra Culmensi ecclesiastica jura cuilibet cedere potuerint, explicari nequit. Haec enim terra ab anno 1222 dioecesi erat addicta episcopi Prussici ex privilegio solemniter a potentissimis monarchiae ducibus confecto, a summis totius Poloniae proceribus ecclesiasticis et saecularibus subsignato, (Lowicziae Nonis Aug. 1222.), a summo denique Christi pontifice probato et confirmato (Lateran. XIV. Kal. Majias 1223.) — Quae quum ita sint nescio quo nomine hoc, episcopi et capituli Plocensis, in damnum Christiani, de ecclesia Prussica optime meriti, confectum privilegium appellandum sit, quo, anno 1230, Cruciferis contributae sunt possessiones in terra Culmensi, a Christiano jam anno 1222. rite legitimeque acquisitae possessaeque. Id autem quam apertissime ex hoc privilegio patet: Cruciferos jam initio anni 1230. periculosissimos se homines ostendisse cum eo, quo dixi, modo a capitulo et episcopo Plocensi, anno 1230., ea, quae inde ab anno 1222. fuerunt Christiani, adipiscerentur. Ambitiosae contentiones et privatae utilitati inservientes, quibus animi Poloniae ducum illo tempore occupati erant, quominus oculos in illa Cruciferorum facinora verterent, prohibuerunt. — Quo factum est ut Christianus, metuens ne Cruciferi, etiam se invito, per fas aut nefas (ipsius) ecclesiae jura et haereditates in terra Culmensi impetrent, sequenti anno illa iis concessit, reservatis sibi tantum iis, quae non debent, nisi ab episcopo solo, administrari.<sup>40)</sup>

<sup>40)</sup> Dog. IV. Nr. 16. — AB. I. 410—12. — Dreg. 83. — Aliud Christiani privilegium cf. Voigtii Cod. dipl. Pr. I. Nr. 25. — (\*) Verba Christiani: „contulimus totum quod ab episcopatu Plocensi in subsidium episcopatus Prussiae suscepimus et habuimus videlicet de ecclesiis conferendis et decimarum proventibus, nobis in reliquis episcopalem jurisdictionem reservantes“ ex nostra sententia, idem valent, quod haec: „et omnes decimas et ecclesias et earum patronatum cum omni jure ac libertate quod

Haec mihi videntur integrae esse pactiones quas dux Conradus cum Cruciferis inierat. Ad hoc tempus aliter in-

ibidem habemus vel habere possumus dictis fratribus *conferimus*.... hoc dumtaxat excepto, quod chrisma et consecrationes abbatum, monalium, ecclesiarum et alia sacramenta ecclesiae a nobis exposcentur“ Guntheri verba; atque utriusque verba idem valent, quod haec: „quae non debent nisi ab episcopo solo administrari.“ — Quod ad locum attinet, ubi haec privilegia scripta sint illud „Rubenicht“ videtur esse „Rubów“ urbs inter Wyszogrod et Czerwieńsk urbes sita; id quod abbas Vysogrodensis et subprior Lysa-Górensis (Sancta Crux) affirmare videntur — ut etiam hic Christianus in terris Conradi Masoviensis versetur. Stupore quodam afficimur, si perlegimus, quae Watterichius ex verbis alterius privilegii: „in terris Pruzie, que ad nos ex jure et gratia sedis apostolice spectare videntur“ sequi dicit. Quae verba, jam in privilegio abbatum (mense Jan. 1230), ut nobis quidem videtur, exhibita („Item promiserunt omnia instrumenta et auctoritates, quas in cruce signatis et signandis ab apostolicis fel. mem. Dominis Innocentio et Honorio habuit et insuper *omnia instrumenta negotium Prussiae tangentia* propriis expensis et laboribus sub bulla.... Gregorii IX.... procurare innovare“), imprimis ad bullam diei XII. Maji, anni 1219, pertinent. — Jacturam quam hic Christianus ad religionis salutem fecisse se putavit, reparavit vendenda donatione capituli generalis. Qua de re Damalevicus, Series cet. p. 138: „atque dum ipse (sc. Christianus) incursionibus Prutenorum divexatus *egere coepisset* bona Dobrovo a Beato Bogumilo Ordini Cisterciensi per manus Boguphali professi Luknensis monasterii consignata, post mortem ejusdem Boguphali de consensu generalis capituli possidenda ad vitae suae tempora recepit, quae deinde post annos 4. Sulejoviensi Abbati resignavit Posnaniae coram principe Vladislao Ottonis cet. anno Dni. 1232 cf. p. 124 et 125.“ Ad quae verba haec tantum nobis sunt apponenda, Christianum ergo non esse captum auctumno anni 1231, quo concesso, multas sententias Watterichii vana esse somnia apparebit. (Cf. p. 94. et sequentes). — Quod documentum a Vladislao Odonis datum, cujus Damal. hic quoque mentionem facit, cum sit rarissimum, in fine hujus „*particulae tertiae*“ affere volumus. Est enim tantum apud Damalevicium expressum litteris: (Series Archiep. p. 101 — 3) Nisieccius „Herby Rycerstwa“ cet. I. p. 57. (Lwów 1738) mentionem ejus fecit. Me vero Roepellius ejus documenti benigne admonuit. — Neque minus grave est ad historiam

telligebantur — et propterea, scriptores Cruciferorum rebus adspirantes summum ex iis imperium terrae Culmensis Cru-

Christiani scribendam documentum quoddam in Cod. Mucz. I. Nr. 39. Haec sunt praecipua ejus verba: „Nos igitur Casimirus Dei gratia dux Lanciciae et Cujaviae notum facimus praesentibus et futuris, quod, cum ratione dotis inclytae Ducissae Constantiae uxoris nostrae et matris nobilium ducum Lestkonis et Semomisli filiorum nostrorum, Lendensem castellaturam teneremus, accedens ad nos piae recordationis Christianus, quondam cister-siensiis ordinis monachus, et post, divina providentia super terram Prussiae consecratus episcopus, humiliter supplicando nos rogavit, quod nos villam, que Dobrow vulgariter nuncupatur, cum suis pertinentiis, quam tempore sui monachatus et etiam episcopatus ratione cister-siensiis ordinis, cui ab antiquo collata fuerat, libere ac pacifice multis annis possederat, domui s. Mariae et fir. de Suljow cisters. ordinis ratione ejusdem ordinis, post ejus obitum confirmare dignaremur. Nos autem deo militantibus subvenire pium ac saluti esse necessarium considerantes cet.“ Ex quo loco patet Christianum etiam anno 1233 fuisse apud ducem Casimirum Lanciensem. Nam ad annum 1233 Vladislaus Odonis regiones has possidebat et hoc demum anno haec terra cum aliis, seditione nobilitatis, quae cum Henrico Barbatona pugnaverat contra Vladislaum, ad Henricum transit verisimile et ab hoc ad neptem, Casimiri conjugem. (Cf. Boguphal ap. Sommersb. II. p. 59: „propter quarum libertatum donationes primates Polonorum sequenti anno volebant ducem Vladislaum occidere, inducentes et assumentes in dominum Henricum cum barba Zlezie et Cracoviae ducem..... Alia autem causa ejeccionis ejusdem ducis fuit hec, quia Henricus cum barba rememorans vulnera alias in Gansowa suscepta, sibi que per machinationem Wladislai predicti illata, terras Pomeranienses (?) Kalisienses, Pizdrenses et Sredenses..... subintravit.“) — Quam ob rem tempus captivitatis Christiani recte a nobis jam pridem in „particula quarta“ est constitutum. Praeterea intelligimus, Christianum etiam cum monachus esset, eas possessiones habuisse et colligere possumus, si jam ab initio eas acceperit in totam vitam, donationem, a Damalewicio sub anno 1228 memoratam, ei sine tali conditione datam esse. Quod si non ita esset, non potuisset has possessiones post mortem vendere. — Non minoris momenti ad historiam Christiani, post ejus reversum e Smlandia, scribendam documentum est quod Muczowski II. 2. Nr. 44. exhibet. (\*)

ciferis datum deducebant; his contrarii scriptores alia etiam privilegia admittebant eaque a Cruciferis data esse putabant, quibus Cruciferi se terras in Prussia expugnandas cum Conrado partituros, et infidelibus extinctis, terram Culmensis et Luboviensem Conrado, aut ejus successoribus, reddituros esse promisissent.<sup>41)</sup> Si haec officia ordo Cruciferorum receperit, Nemesis quaedam profecto justissime, cum promissis negligeret stare, ulta est eum: nam pax Thoruniensis hunc stabilivit inter Coronam et Ordinem statum, ut et terra Culmensis et Luboviensis et dimidia pars Prussiae ad Poloniam rediret. Sed ut ad nostra revertamur, effugit, cum faventes ordini, tum scriptores his contrarios, primas ordinis cum Conrado condiciones proferentes illud, ordinem Cruciferorum tum quidem non tam latas terras firmisque castris munitas, non tam magnas copias habuisse, quam recentioribus temporibus: compositum potius fuisse ex haud multis „monachomilitibus“ quibus Conradus, nec cupiditatem summi sibi latarum regionum imperii comparandi ascripsit, nec necesse esse putabat, mutuas promissiones extorqueret. Etenim jam multi duces et reges multis ordinibus varia beneficia fecerunt, multas terras aliaque bona dederunt, eosque propterea ad summum in precationibus sui meminisse obligaverunt, sed nunquam iis obligationes hujusmodi in forma privilegii conscriptas, extorserunt. Pia sanctionia religioque, quam in unoquoque Conradi privilegio invenimus docet, Conradum donationes ordini factas ita

---

<sup>41)</sup> Roepellius solus aliter ac utraque scriptorum pars has res intellexit. Quae ejus sententia (I. 436. sqq.) me ad singulas condiciones inter Conradum et Cruciferos initas perscrutandas compulit. Et privilegiis ad has res attinentibus, omnibus quae inveniri adhuc possunt, evolutis et inter se comparatis, Roepellii sententia in omnibus partibus confirmatur.

intellectas voluisse, ut duces alii aliis religiosis ordinibus donationes factas intellexissent.<sup>42)</sup> Ad majorem igitur Dei gloriam praecipue Conradi donationes spectant, obligantque Cruciferos sic ad auxilia ferenda in bellis contra infideles, ut alium quemlibet ordinem ad persolvendas aliquot preces obligaverint. Et quamquam sine dubio Conradus quam minimam spem in armis eorum ponebat, tamen persuasum habuit, Omnipotentem pro donis, quae societati dedisset, gloriae Dei inservienti, etiam miraculo admissio, Prutenorum terris, impendium factum sibi ad assem redditurum. Nec mirum est, quod dux Masoviensis hanc habuit fidem, quum non ita multis ante annis tota Europa credidisset terram Sanctam, copiis ex pueris compositis, e Saracenorum manibus recuperatum iri. Tale tum erat ingenium aetatis.

Quae quum ita sint oportet ex privilegiis et contra opinionem Polonicorum scriptorum concedamus, possessionem donati Cruciferis territorii in perpetuum datam esse. Quae

---

<sup>42)</sup> Conferenda his sunt, quae in privilegiis inveniuntur verba: in privilegio anni 1228 „pro salute animae nostrae et parentum nostrorum;“ in privilegio anni 1229 „quia munificentias ac libertates, praesertim in *pias causas et ad loca religiosa* collatas scriptura convenit perpetuari.... ea propter ego Co. notum esse volo quod pro remedio animae meae, praedecessorum et successorum cet;“ in privilegio initio anni 1230 dato „notum esse volo, quod intuitu *divinae retributionis* meae salutis animae et propter defensionem fidelium.... dedi *beatae Mariae et fratribus*;“ in privilegio Kruszwicensi „sperans per viros religiosos manum Domini quae nos tetigit, et flagellum suae indignationis placari ejusque favente gratia, qui suis adesse consuevit, per Christi milites quorum spes, virtus et gloria Deus est, brachium fortitudinis Sarracenorum conterendum, salutis animae meae ac meorum, aeternaeque retributionis intuitu ac ab defensionem fidelium in Polonia“ cet.; in fine hujus privilegii haec fere repetuntur: (donationes hae necessariae sunt) „propagationi et ampliacioni s. fidei catholicae etiam ad ipsos infideles, quorum exinde speratur conversio per Dei gratiam“ cet.

terra, quamvis ex ea Cruciferi omnes usuras percipere possent, summum tamen, ducum Masoviensium, imperium agnoscere debebat, tali modo, quali multae domus (Komthurei, Balley) in Germania et Italia sitae, ex quibus quamquam omnes reditus Cruciferi percipiebant, nihilominus sub summo pristinorum dominorum imperio esse non desierunt. Et quum Cruciferorum auxilia Conradus sibi in id tantum temporis parasset, donec Pruteni Christianam religionem non essent amplexi, non debebant Cruciferi in Masovia armatas manus habere, nisi per illud tempus.

Quae conditiones de hoc temporum statu traditae quibus Cruciferi Polonicis provinciis donatis vique occupatis, et expugnatis Prussiae possessionibus, multo Masoviensium duces opibus et auctoritate superabant, quum, tam Cruciferorum, quam Poloniae scriptoribus, duriores improbabilisque visae essent, illi tam potenti, ut iis videabatur, societati, terras jam donatas, totamque expugnandam Prussiam; hi certe dimidiam Prussiam, summa cum potestate assignandam censebant. Sed si eum statum animadvertamus, quo tum temporis et ordinis exigua potestas et omnium Europae gentium pia sanctimonia esset, plane nobis justae videntur illae conditiones. Nam etiamsi ordini centeni milites ad auxilium duci Masoviensium ferendum erant alendi, attamen ex redditibus tantae terrae, quanta est terra Culmensis, abunde earum rerum, quae opus erant, parari poterat. Ad hoc accedit quod in hac solum terra Cruciferi studia sua exsequi possent. Non enim ad pompas militares faciendas et ut luxuria diffunderet et delicate ac moliter viveret, ordo erat constitutus, sed ut infideles debellaret. Et quum de Syria prope expulsus, neque Romae, neque in aliis urbibus nec in imperii Romani pagis infideles inveniret, quibuscum pugnas inire eosque Christianis subjicere posset: fortunatum se di-

cere debebat, quod se dux Masoviensis ad infideles debellandos arcessisset et etiam largam possessionem donavisset. Ordo enim, si cum Christi hostibus non pugnasset, plane supervacaneus perjurusque fuisset, nam sponsa vota non explevisset: itaque diu vigere non potuisset.

Quae quum ita sint, in magno errore versantur scriptores, qui Cruciferos tantum pro tanta mercede, quanta Prusiae totius partisque Masoviae ducatus assignatio sit, contendunt contra Prutenos, et id quidem post longam haesitationem bella suscipere dignatos esse.

*Privilegium Vladislai Odonis anno 1232 Christiano, episcopo Prussiae, Posnaniae datum.*

(Damal. Series. p. 101—103.)

In nomine Domini Amen. Ego Vladislaus Dei Gratia Dux Poloniae, inelyti olym Ducis Odonis filius, notum esse volo universis Christi fidelibus, praesentibus et futuris, quod piaae memoriae B. Bogumilus quondam Archiepiscopus Gne-nensis Ecclesiam suam et Ecclesiae (?) Gnensensis (?) in Dobrowo cum possessionibus, et haereditatibus ad eam pertinentibus videlicet ipsa villa Dobrowo, Leszno, Rzu-chowo, Zadowo et Kwaczewo cum Sanctuarijs et piscatoribus et cum decimis ipsarum possessionum, aliarumque scilicet: Chełm, Krobewo, (?) Dambe, Ostrowo, Komorowo, (?) Karszewo, Zakrzewo, Bissecre, Slaentino, Grabowo. Item Janiszewo, Kolnica, Chotemino et Weglowa<sup>1)</sup> contulit et dedit ob honorem Dei, Beatissimae Mariae semper Virginis, Ordini Cistersiensi cum usu fructu, plene libere in perpetuum possidendam, et ad manus fratris Boguphali monachi consignavit pro voluntate generalis capituli ejusdem Ordinis disponendam: et quod idem capitulum post mortem

fratris Boguphali monachi de Lecna praefati eandem ecclesiam cum pertinentiis suis omnibus praedictis Religioso Dno Patri, Christiano, Episcopo Prussiae, Monacho Cisteriensis Ordinis, ad tempus vitae suae contulit tenendam et possidendam pro subventionem terrae suae. Idem autem Pater Dnus Christianus Episcopus, postmodum coram me in Ponsaniam consistens, et in praesentia Venerabilis Patris Dni. Fulconis Archiepiscopi Gnesnensis cum instrumento mandati memorati Capituli generalis, praefatam Ecclesiam de Dobrowo cum omnibus attinentijs suis praelibatis Abbati Wilhelmo de Sulciow et ejus Conventui, post suam vitam consignavit et tradidit, pleno jure tenendam ac pro voluntate generalis Capituli possidendam. Istius facti testimonium et robur aeternum, praesentem paginam conscribi iussi meoque sigillo, et sigillis Dominorum praedictorum, Fulconis Archiepiscopi Gnesnensis et Christiani Episcopi Prussiae, communiri. Acta sunt haec Anno Dni. MCCXXXII. Indictione quinta (? V. pro II.) in Festo Beat. Apostol. Petri et Pauli. Praesentibus probis viris et Dnis. Baldevino Gnesnensi et Alberto Lanciensi Decanis, Magistro Andrea de Cracovia, at Stephano cancellario meo. Item Jaroslao Ponsaniensi, Petrone Sandocensi, et Vincentio de Zbanszin Castellanis. Nemera Pincerna meo, Vislao Vexillifero, Laurentio Venatore, et alijs multis. Ego etiam intuitu remunerationis Divinae, omnes libertates a praedecessoribus meis sollemnis memoriae Ducibus Poloniae Miescone Avo meo, Vladislao Patruo meo, ac Odone Patre meo, saepedictae Ecclesiae de Dobrowo possessionibus eius, et incolis earum cujuscunque conditionis collatas renovo et confirmo. Videlicet quod jus plenum piscationis et castorum habent in fluminibus Warta et Nyr, intra terminos possessionis meae. Nec aliquid vectigal ducunt, nec aliquam solutionem mihi vel meis

solvunt Castellanis et officialibus, nec coram ipsis citantur, sed ad meam praesentiam tantum per literam meo anulo signatam. Nec caput mihi aut meis solvunt, nec septuaginta neque castra neque pontes aedificant, vel emendant, nec ad expeditiones vadunt, sed per omnia, Ecclesiae de Dobrowo et Fratribus possessoribus ejus legitimis, quiete deserviunt in aeternum. Hos autem Fratres in protectionem meam suscipio, ac meis successoribus in spe retributionis Divinae semper protegendos committo. Et quicumque eos molestare praesumpserit a Deo et a Sancta ejus Genitrice Virgine Maria, et ab omnibus Sanctis sit Anathema, Maranatha. Amen.

<sup>1)</sup> De situ harum villarum cf. Muczkowskii Cod. dipl. Pol. I. Nr. 39. adnotationes.

## PARTICULA QUARTA.

*De primis Gregorii IX. bullis Cruciferos in Masovia respicientibus — et de prima Cruciferorum cum duce Conrado dissensione.*

Acquisitis tandem privilegiis, quibus freti manu armata summum imperium terrae Culmensis a Conrado abjudicare possent, primo a Polonicis ducibus adjuti horribilia atque cruentissima contra Prutenos bella gerere coeperunt. — Quae quidem bella exponenda nobis hic non proposuimus; propositum enim nostrum fuit enucleare, quo modo et quo ordine Cruciferi prima privilegia inpetraverint, quo modo ea Conradus successoresque ejus, Poloniae reges, intellecta voluerint et velle potuerint, quo modo denique illa Cruciferi multique rerum scriptores, qui partes eorum sint secuti intellexerint. A mense Junio anni 1230. nihil amplius

iis Conradus dedit, mox etiam coactus est, ut rixas atque altercationes cum iisdem Cruciferis iniret.

Dissensiones hae primae, quibus res et conditiones inter Cruciferos et Conradum accuratius exponuntur, atque ea, quae jam exposuimus, probantur, scribendi finem nobis imponant, commemoratis ante quibusdam bullis Gregorii papae IX., in Masoviam Cruciferis missis.

Postquam Conradus Cruciferis privilegium Kruzvicense dedit, eos Romam ire et a papa ejus confirmationem impetrare jussit. Ea de causa ipse papae, privilegii confirmationem rogans, scripsit.<sup>1)</sup> Quae papae confirmatio secundum Dogielium IV. p. 11. Nr. 15. a. d. IV. Idus Septembres (die 10. Sept.) — secundum Voigtii Regest. ad T. I. Codicis dip. Pr. a. d. II. Idus Sept. (die 12. Sept.) 1230. anni, est data. Haec est prima bulla, quam Cruciferi in Masovia a summis ecclesiae pontificibus in suum commodum acceperunt. Voigtius vero in historia II, 214. privilegii a papa Gregorio IX. jam a. d. XV. Kal. Febr. (die 18. Jan.) 1230. Cruciferis dati, facit quidem mentionem — sed in regestis ad T. I. Cod. dipl. Pr. (sub anno 1234.) quo tempore datum sit nescire videtur. Nihilominus autem idem privilegium, tamquam novum, p. 21. Nr. 23. in eo ipso I. Tomo Codicis Prussici exscribi jussit.<sup>2)</sup> — Bulla autem cujus in historia II, p. 206. mentionem facit, quamque ante annum 1230. datam esse contendit, est emissa, aut Idibus Sept. pontif. Gregorii anno IV, ut ex Raynaldo (ad annum 1230. §. 23), aut XV. Kal. Octobr. a. 1230., ut ex Codice Voigtii I, Nr. 24. apparet: nam quae Voigtius in historia II, 206. in ad-

1) „Nos ergo ipsius ducis supplicationibus annuentes..... quod ab eodem duce..... pie..... factum esse dinoscitur..... auctoritate apostolica confirmamus“ — verba Gregorii IX. bullae.

2) Cf. bullam Gregorii IX. papae in Actis Bor. I. 418. exscriptam.

notatione (— in qua pro „deus miserabiliter“ sine dubio: „deus misericorditer“ cet. esse debet —) exscribit, ea ad verbum inveniuntur impressa in bullis Gregorii in utroque libro laudato, iis quos dixi locis, exscriptis. — Ceterum in altera Gregorius fideles quarundam provinciarum monet, in altera ministros fratresque ordinis Praedicatorum non, ut Cruciferorum bono curent, sed ut fideles ad crucem contra barbaros Prutenos sumendam impellant, qui „(Masoviae incolae) vehementer impugnant destruentes terras eorum, qui resistere prae paucitate non possunt et personas etiam miserabiliter trucidantes.“ — In historiae Tomo II. p. 177. longius etiam Voigtius progreditur, traditque Gregorium IX., idem quod Fridericus II. anno 1226. fecerit, jam antequam Conradus cum Cruciferis pactiones fecerit, eas confirmasse consensisseque de omnibus, Cruciferis donandis, aut ab iis expugnandis terris. Ad comprobendam suam opinionem Voigtius prolixius Dusburgii partis II. caput VI. laudat. Si vero locum ex Dusburgio depromptum ipsi evolverimus, persuasum nobis erit, Voigtium hic haud rectas opiniones protulisse. Nam Dusburgius tantum abest, ut loco laudato de una a papa ordini data bulla referat, ut, quod etiam ex particulae commemoratae titulo plane apparet, omnino de omnibus bullis, aut ordini, aut in favorem et ordinis et Masoviensium et in gratiam eorum qui in verum Dei cultum se converterint, praebitis, verba faciat. Quum igitur accuratius hanc Dusburgii particulam sincero iudicio<sup>3)</sup> exami-

<sup>3)</sup> Dusb. pars II. c. VI.

Papa..... ordinationem cum fratribus *in nomine Domini* confirmavit, *injungens dictis fratribus in remissionem peccaminum*, ut *vindicarent injuriam crucifici Domini* et terram Chri-

Cod. dipl. Prussicus I.

Nr. 23. (Nos Greg.) caritatem vestram monemus et hortamur *in domino vobis* et omnibus adiutoribus vestris *in remissionem peccaminum injungentes* quatinus ad eripiendum de Pruteno-

naverimus, singulas enuntiationes re vera partes diversarum a papa datarum bullarum esse cognoscemus. — Illud mihi statui non posse videri, Voigtium, subtilem illum diligentemque bullarumque privilegiorum et Cruciferis et ordini Dobrinensi datorum, judicem, has tam perspicue segregatas, et cum ad verba, tum ad vim pares et propterea facillimas ad distinguendum partes, quas Dusburgius e bullis pontificalibus excrispsit, has, dico, Voigtium non discrevisse. Sed Voigtio, ut nobis videtur, proposita sua, jam sibi ab initio definita, ad felicem eventum perducere posset, bulla necessaria fuit, qua papa jam ante annum 1230. omnes in septemtrionalibus regionibus factas acquisitiones ordini confirmaret: propterea igitur librorum suorum lectores, — qui nolint operam dare conferendo Dusburgio et nonnullis bullis papalibus anni 1230. inter se comparandis, — ut credant, Dusburgium de una so-

stianis debitam recuperarent ab infidelibus occupatam.

.....quia dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit ut eruat vos de periculo.

.....quia quum feceritis quae praecepta vobis a Domino Deo vestro, in ipsa gloriosi eritis.

Adducite ergo ad vos omnes fautores legis..... retribuite retributionem gentibus etc.

rum manibus terram ipsam....viriliter procedatis. — Nr. 24. ....ut....ad vindicandam injuriam sui nominis et ad liberandum proximos de manibus paganorum profecturi cet.

In quamplurimis bullis

.....per fratres ipsius ordinis dextra Domini in iis faciente virtutem paganorum saevitiam comprimendam.

.....vosque centuplum in via et vitam eternam in patria percipere debeatis.

..... ad nimiam caritatem qua Christus vos dilexit..... respectum habentes, et ei retribuentes pro omnibus aliquid, quae tribuit ipse.

Conferatur inprimis Cod Pr. I. n. 24 et Rayn. s. a. 1230 §. 23.

lum bulla pontificis l. c. scripsisse, adducere conatur. Etiam si Dusburgius exscripsisset ex aliqua bulla, saepe jam repetita fuisset nec amitti a Cruciferis potuisset. Quomodo vero omnino fieri potuit ut Dusburgius, — secundum Voigtii argumentationem, nullo loco, hujus, maximi momenti bullae Gregorii a. d. IV. Idus Sept. a. 1230. datae, meminerit? Anno 1227. nondum donationem ullam Conradus fecit proptereaque non potuit papa quidquam confirmare: Dusburgius autem, cum jam ante annum 1230. confirmationis pontificalis mentionem fecerit, eam ita, ut privilegium Conradi Kruszwicense,<sup>4)</sup> anticipavit. Praeterea Dusburgius, de hac papae confirmatione, prolata summa Kruszwicensis privilegii refert, quod item contradicere Voigtii opinioni, nostram autem confirmare videtur. — Gregorius denique nullo modo potuit ordini ante d. V. Kal. Sept. (ante diem 28. Aug.) 1230. quidquam tanti momenti comprobare, nam illo demum die sublata est excommunicatio Friderici II, cujus fidelissimus miles de Salza, ordinis magister, erat. Cur Voigtius non sufficientem vim hic tribuerit iis, quae Tomo II, 207. squ tradidit,<sup>5)</sup> jure interrogamus.

Confirmavit autem papa hoc Cruciferis a Conrado datum privilegium maxime instante petenteque Conrado qui hoc modo omnia ordinis et imperatoris vincula disrumpi posse censebat, vincula, inquam, quae illi jam ante adventum in Masovia retinere sibi proposuerant. Papa ducis precibus assentiens, annotare non negligit, haec pacta tam diu valere debere „dum talis sit terra paganorum, in qua nondum cultus Christianae religionis fuerit introductus.“

<sup>4)</sup> Cf. adnotationem 20. particulae secundae.

<sup>5)</sup> Cf. Raumer Hohenst. III. 427—28, ubi de vi exortae inter papam et Fridericum discordiae loquitur.

Quod ad eximendos Cruciferos ex imperatoris potestate atinet, Conradus hac Gregorii donationis confirmatione, id quod concupiverat, adeptus est. — Sed statim apparuit, hac ipsa confirmatione et Cruciferos eum, quem sibi proposuerant, finem consecutos esse; seque paulatim a ducis ditione prorsus liberavisse, — quum facta sua hoc privilegio excusarent. — Jam antea commemoratum est, Conradum Cruciferis acquisitiones, quas ipsis in Prutenorum terra parare contigerit, cum his omnibus libertatibus et conditionibus cecississe, quibuscum iis terram Culmensem dederit. — Ad annum 1234. auxilio cruce signatorum e diversis regionibus impetrato, praecipue vero eorum, quos Poloniae duces <sup>6)</sup> in Prussiam duxerant, magnas iis Prutenorum terras expugnare contigit. His ut ex arbitrio suo frui possint, contra pacta privilegii Kruszwicensis, <sup>7)</sup> rebus adversis, quae illo tempore Conradum invaserunt <sup>8)</sup> commoti, papam adeunt, expugnatas expugnandasque terras in jus et proprietatem S. Petri offerunt, easque sibi, pro quodam cesu quotannis persolvendo, repetunt. <sup>9)</sup> — Gregorius, qui quatuor annis ante, Kruszwicensia pacta approbaverat, sed cui, sine dubio, Cruciferi persuadent, Kruszwicensibus pactis prorsus opposita ad convertendos in verum Dei cultum Prutenos melius profutura: Reate a. d. III. Non. Aug. (die 3. Aug.) 1234. dato privilegio <sup>10)</sup> cum Cruciferis de eorum propositionibus consentit accipitque expugnationes in Prussia factas facien-

<sup>6)</sup> Dusb. pars III. c. I. et X.

<sup>7)</sup> Quae enim ad hoc tempus expugnaverant non „soli“ sed auxilio ducum Polonicorum adjuti, expugnaverunt.

<sup>8)</sup> Fortuna adversa pugnavit hoc tempore eum Henrico Barbato.

<sup>9)</sup> Similia acciderunt in ordine Dobrinensi anno antecedenti: cf. Frid. de Gudenii: Cod. dipl. p. 517—18. Nr. 24.

<sup>10)</sup> Voigt. Cod. d. Pr. I. Nr. 35.

dasque in jus et proprietatem S. Petri. Nihil profuerunt Conrado ipsius, contra hanc Cruciferorum pactionem, intercessionem: papa consilium suum firmum esse voluit, — Conradum autem contradicentem, episcopis Masoviensibus, Cujaviensi et Plocensi per censuram ecclesiasticam, ut compescerent imperavit — si pacta privilegiorum quae antecessissent rata esse, summusque dominus terrarum, una cum Cruciferis usque ad illud tempus expugnatarum, manere vellet.

Voigtius in historiae tomo II. p. 262. affirmat: Culmensis etiam terram papam in S. Petri proprietatem privilegio Reatensi recepit. At in documento a Voigtio in Codice d. P. I, Nr. 35. typis excuso, contra Voigtii opinionem, de acquisitionibus solum in Prussia factis, aut faciendis, traditur, de Culmensi terra invenitur nihil. Sententia hujus documenti fere haec est: „*quum vos..... in terra nomine Colmen quam..... idem nobilis (sc. Conradus) vobis..... donavit, constructis..... castris et villis..... Prussiae partem christiano nomini reddideritis subjugatam: nos..... quod a vobis..... jam de ipsa terra..... noscitur acquisitum in jus et proprietatem beati Petri suscipimus..... Quae vero in futurum..... de terra paganorum..... vos contigerit adspici etc.*“ — Sed ne id quidem Conrado placuit, qui — id quod ex afferendis bullis Gregorii concludi potest — protinus novis Cruciferorum institutis opposuit pacta Kruszwicensia.

Hae et aliae discordiae litesque inter Conradum et Cruciferos exortae, sicut etiam conturbatae res ecclesiasticae in Prussia, Wilhelmi episcopi (quondam) Mutinensis (nunc) apostolicae sedis legati iter<sup>11)</sup> e Livonia in Prussiam maturaverunt — cujus tutelae papa Cruciferos bulla valde com-

<sup>11)</sup> Cf. Excursum in fine.

mendat, quem praeterea singulas bullas et Conrado<sup>12)</sup> et episcopis<sup>13)</sup> Plocensi et Cujaviensi tradere jussit. Ex unaquaque commemoratarum bullarum conjici potest, Conradum obstitisse, quominus Cruciferi Kruszwicensia pacta violarent, — unaquaque luce clarius affirmatur: papam in *Prussia solum* expugnatas expugnandasque terras in ditionem S. Petri suscepisse, — dominationem autem terrae Culmensis, illo tempore, non habuisse. Quod ad primum attinet: in qualibet illarum bullarum papa eum, cui misit obsecrat, ut Cruciferis in terris expugnatis tutelam suam tribuat. Erat igitur, qui eos lacesseret in Prussicis possessionibus, per quem ne jacturas paterentur, verebantur. Cum autem eo tempore solus cum iis Conradus rem haberet (nam Christianus longum etiam tempus et antea et post<sup>14)</sup> in vinculis tenebatur) veri est simillimum, ipsum Conradum eos lacessere voluisse. — De recipiendis acquisitionibus jam factis et faciendis in S. Petri jus unaquaque similem exhibet sensum, quem ex duabus sumptum hic afferre operae praetium puto. In bulla igitur ad Conradum edita, in qua ne uno quidem verbo donatio terrae Culmensis commemoratur, sic concepta est necessaria nobis sententia: „....Hinc est quod.... sinceritatem tuam rogamus.... quatinus.... memoratos fratres ita.... confoveas.... ut tam in personis, quam bonis eorum et praecipue in illa parte Prussiae quam per ipsos.... subjugatam, vel ab eisdem.... subjugandam in jus et proprietatem beati Petri suscepimus, ipsisque.... concessimus.... possidendam: nullam ab aliquo paciantur injuriam cet.“ — Bulla ad episcopos Plocensem et Cujaviensem emissa, qua

<sup>12)</sup> Cod. Pr. Voigt. I. Nr. 36.

<sup>13)</sup> Ibid. Nr. 39.

<sup>14)</sup> Ibid. Nr. 32. et Nr. 52.

iis Gregorius papa IX. non solum Cruciferorum ut acquisitiones in tutela habeant, verum etiam adversarios Cruciferorum excommunicent mandat, complures habet lacunas, — nihilominus principalis sententia indagari potest: „Hinc est quod: — quum nos Prussiae partem quam.... fratres.... reddiderint Christiano nomini subjugatam,.... (sub) speciali apostolicae sedis protectione.... permanere.... sanctientes, eam ipsis.... concessimus.... possidendam, ipsamque (ab iisdem) possideri pacifice cupiamus.... — fraternitati vestrae mandamus, quatinus praefatos fratres.... super dicta parte Prussiae, ac super alia quam contra paganos.... obtinebunt molestari ab aliquo minime permittatis, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam.... compescendo.“ — In tertia Wilhelmo data illa verbotenus fere repetuntur. — Quae, putamus, sufficientia esse ad probandum, Voigtii sententiam de terra Culmensi latam tomo II. p. 262. infirmissimo stare talo, vel omni carere fundamento.

Papae igitur privilegium, quo Cruciferi Conradi potestati adhuc expugnatas Prussiae terras ademerunt, non tam late, quam Friderici II. anno 1226 datum privilegium patebat, relinquebatque Conrado summam terrae Culmensis potestatem. — Re vera autem invalidus Conradus nihil fere jam firme possidebat, pendebatque ab iis, in quos largissima effuderat beneficia. Ad quam rem affirmandam, occupatas a Cruciferis, ordinis Dobrinensis possessiones, satis est commemorare, quae res post conjunctionem utriusque ordinis est facta. Lis<sup>15)</sup> vero quam Conradus de his raptis possessionibus cum Cruciferis coram iudice habebat, ad nullum perduxit eventum; in transactione<sup>16)</sup> autem, quam Wil-

<sup>15)</sup> Voigtii Cod. I. Nr. 45. „Cum questio verteretur.... specialiter super castro de Dobrin de quo etiam sub Iudice iam lis erat cet.“

<sup>16)</sup> Ibid. XIII. Kal. Nov. (die 19. Oct.) 1235.

helmus, sedis apostolicae legatus, confecit, Conradus, ut castrum Dobrinense et quae ad illud pertinebant e Cruciferorum manibus recuperaret, „dimittere, cedere et confirmare“ Cruciferis cogitur, „sicut jam tenent, et quanto plenius esse potest“ inter alia: haereditates Nessoviensem, Sedlcensem, Orloviensem, Rogoviensem „quam promisit dux infra mensem expedire libere ab eis, qui ibi aliquid habent, vel possident, et magistro integraliter assignare;“ totum territorium quod dicitur Cholmen, de quo territorio Cholmensi promisit dux infra mensem pacificare et expedire omnes qui praetendunt aliquas ibi habere haereditates sive possessiones et villas, ita quod magistro et fratribus suis nullam de cetero possint quaestionem movere, et haec omnia Cujaviensi ecclesiae salvo jure.“

Quae modo protulimus, ea, rerum a Cruciferorum gestarum scriptores docere debuerunt: primum quod *Cruciferi summam potestatem Culmensis terrae non habuerunt*, si hic a Conrado impetrant confirmationem potestatis donatarum terrarum qualem jam habent, et „quanto plenior esse potest;“ deinde quod omnes solum „haereditates, sive possessiones vel villae“ in Culmensi terra sitae, exceptis ignotis bonis ecclesiae Cujaviensis iis assignatae erant; denique quod res et conditiones primae, inter Conradum et Cruciferos, ad Culmensem terram attinentes factae, summa cum integritate erant servandae.

#### *Excursus.*

Non potuit Voigtius tempus constituere, quo Wilhelmus legatus iterum in septentrionalia venerit. Nam quamquam in tomo II, 258.: Wilhelmum in Prussiam vere anni 1234. (im Vorsommer) venisse tradit, tamen tomo III. p. 581. conten-

dere videtur, Wilhelmum legatum jam anno 1232 in Prussia fuisse. Nos quidem, Wilhelmum demum post d. V. Idus Sept. 1234. eo profectum esse censemus.

Tomo II, 258. ipse Voigtius ex iis, quae Raynaldus ad annum 1234. §. 45. notavit scire debebat, anno 1232. non Wilhelmum, sed Balduinum, Semigalliae episcopum, in septentrionalibus legatum fuisse, qui Raynaldus hoc loco bullae Gregorii a. d. IX. Kal. Mart. datae meminit, qua papa fideles terrarum ad septemtrionem sitarum certiores facit, se, Semigalliae episcopum Balduinum, officii legati absolvisse, idque munus Wilhelmo commisisse.<sup>1)</sup> Tomo III, 581. ut Voigtius affirmaret Wilhelmum legatum jam anno 1232. in Prussia fuisse absque dubio bulla<sup>2)</sup> papalis effecit a. d. III. Id. Jan. (die 11. Jan.) 1233. ad Prutenos missa, qua iis papa, ut duos, vel plures suorum ad se mittant, mandat. Quae quidem bulla omnino quam maxime perplexa, hoc solum nos docet, Wilhelmum a. d. III. Id. Jan. 1233. apud Gregorium Anagniae fuisse<sup>3)</sup> et propterea in Prussia eo tempore esse non potuisse. Raynaldus ad annum 1233. §. 58.

1) Rayn. ad 1234 §. 45: „Universis Christi fidelibus per Livoniam Prussiam cet. et ceteras neophytorum..... provincias constitutis..... Verum idem episcopus (sc. Wilhelmus)..... videns quod regiones vestrae albae sunt jam ad messem..... cum multa precum instantia et lacrymarum effluentia supplicavit, ut ipsum episcopatu propter vos Mutinensi dimisso..... in messem Domini mittere dignaremur. Nos igitur..... revocantes legationis officium et universas litteras..... venrabili fratri nostro episcopo Semigalliensi concessas: eum (sc. Wilhelmum) ad evangelizandum nomen Domini..... commisso sibi legationis officio..... providimus destinandum, ut auctore Domino tamquam diligens cultor agri dominici evellat et destruat, dissipet et disperdat, aedificet et plantet prout sibi Dominus ministrabit.

2) Cf. Cod. Pr. I. Nr. 28.

3) *Referente* sane venerabili fratre nostro Mutinensi episcopo nuper accepimus.“

hujus Gregorii bullae mentionem facit eamque aliqua ex parte explicat.<sup>4)</sup> Atque ex iis, quae de hac bulla memoriae prodit, intelligere licet haec: Prutenos a. 1232., cum cruce-signatorum apparatu perterriti essent, periculaque patriae imminetia amovere cuperent, jam sibi *diu notum*<sup>5)</sup> Wilhelmum epum mutinensem litteris adiisse, nuntiantes, sese Christi fidem amplecti velle, ipsumque sibi epum exoptare.<sup>6)</sup> Quam rem Wilhelmus ad Gregorium *refert*, qui illam bullam Prutenis scripserat iisque mandaverat, ut oratores ad suam apostolicam sedem mitterent, cum quibus hanc tam magnam rem ad felicem exitum perducere posset.<sup>7)</sup> — Interea autem, in-

<sup>4)</sup> Rayn. a. a. 1233 §. 58: „Significarunt illi (sc. Pruteni) se Christiana sacra suscipere in animum induxisse, quibus magno ex sperata illorum conversione gaudio delibitus pontifex gratulatus, et evangelium excipere est adhortatus, utque oratores ad sedem apostolicam mitterent, quo tanta res ad exitum felicius perduci posset. At perfidi induerant pietatis speciem, cum se ab hospitalariis Theutonicis victos profugatosque lugerent: ac brevi fraus patuit, quum Prussiae episcopum suscipiendi ab eo baptismi specie excutum obruncatis iis qui ipsum stipebant, vinculis manciparunt, ut pontifex ea de re datis ad Praedicatorum litteris queritur.

<sup>5)</sup> Cf. Voigtii: *Gesch.* I. 459.

<sup>6)</sup> Quae si ita sunt, bulla in Cod. Voigtii I. Nr. 23. et in AB. I. p. 418. exscripta, in qua conditio haec: „provisio ne contra terram, quae Wilhelmum Mutinensem episcopum accepisse dinoscitur occasione hujusmodi procedatis“ invenitur, anni 1233 est. — (\*) Et propter hanc bullam valde suspectam Waterichius Wilhelmum annis 1230. 31. in Livonia fuisse censet, et verba „provisio ne contra terram cet“ ad Livoniam pertinere, quasi papali cancellariae nomen Livoniae non fuerit notum! (\*)

<sup>7)</sup> Ea quae Voigtius III. 581. de hac vehementer sollicitata legatione tradit parum sunt verisimilia; conjectura autem ejusdem, bullam hanc (a. d. III. Id. Jan. datam) responsum papae esse ad litteras Wilhelmi legati ex Prussia scriptas, nullo modo defendi potest. Nam primum Wilhelmus legatus in Prussia, dignitatem episcopalem ibidem concupiscere non potuit, nisi apertum bellum cum jam antea creato, solemnibusque bullis compro-

ter XI. d. Januarii 1233. a. (Cod. I, 28.) et 7. d. Octobris 1233. (Cod. I, 32.), id, quod et hac bulla videmus Christianum captus est.<sup>8)</sup>

Jam haec ut credamus sufficiunt, Wilhelmum anno 1232 in Prussia non fuisse, neque legatum iterum creatum esse; sed praeterea veritas sententiae nostrae quam evidentissime, bulla<sup>9)</sup> Gregorii a. d. IX. Kal. Mart. emissa, confirmatur. Quae bulla, antequam Wilhelmus in plagam septentrionalem profectus esset mitti, atque de suggestibus pronuntiari debuit, nam duo legati uno eodemque tempore locoque, eodem mandato praediti, esse non poterant. — Bulla quidem a. d. II. Kal. Mart. (die 28. Febr.) ejusdem 1234 anni data,<sup>10)</sup> docet novum legatum non statim post munus acceptum in commissas sibi regiones profectum esse. Fieri enim non potuit, ut Gregorius tum demum ad eum hoc documentum tam magni momenti, atque munus ejus stabiliens, quanti est bulla laudata, mitteret. — Bulla, qua Balduini munus sublatum est,

bato episcopo Prussico, Christiano, inire voluit. Hac autem tam vituperanda animi cupiditate Wilhelmo tributa, hoc non distinctum nec sufficiens papae responsum et offenderet legatum, propterea quod papa nullam fecit mentionem ea de re, num Wilhelmus voluntate ipsius episcopus fieri possit; — et Prutenos abalienaret a suscipiendo cultu Christiano, si papa iis tam molestas condiciones imponeret, quamquam sua sponte se convertere voluerant et quamquam Wilhelmus, quem episcopum concupiverant in ipsorum terra erat; — denique vero haec bulla non potest responsum legato datum esse, nam est bulla ad Prussos scripta.

<sup>8)</sup> (\*) Num Watterichius incuria an consilio, nonnullis in regestis sub a. 1232 p. 197. citatis documentis falsa adscripsit data, nescio. Ex quibus unum in fine (Nr. 24.) recte est definitum. — Ceterum in regestis Wilhelmi legati exhibendis non debet desiderari bulla ap. Rayn. s. a. 1227 §. 8—9. exscripta. — Cf. Watterichii annot. 63. (\*)

<sup>9)</sup> Rayn. s. a. 1234 §. 45.

<sup>10)</sup> Dog. V. Nr. 17.

nondum a. d. VI. Kal. Majas <sup>11)</sup> (die 27. April.) ad Balduinum perlata est, — quapropter eo minus Wilhelmus jam eo tempore in regionibus septentrionalibus esse potuit.

(†) Nunc vero potuit in regiones septentrionales profectus esse, antea vero in Livlandiam, non in Prussiam. Nam si id quod superest, meminerimus — in bulla Gregorii a. d. III. Non. Aug. 1234 data, qua in proprietatem S. Petri Cruciferorum in Prussia factas acquisitiones papa sumit; jura, quae sibi reservet, commemorat; de dioecesibus, et parochiis instituendis limitandisque et de ceteris <sup>12)</sup> ad munus legati pertinentibus dicit: in hac igitur bulla, nullam de Wilhelmo mentionem esse factam, — Wilhelmu initio mensis Augusti nondum in Prussia fuisse contendere possumus. — Interea autem res in Prussia maxime mutabantur: Christianum enim Pruteni jam diu ante comprehenderant et in Samlandiam abduxerant — novusque grex sine custode erat; Cruciferi, vel cruce signati, Prutenis caesis, multas eorum terras occupaverant; expugnatas, in patrimonium S. Petri tradiderunt; cumque Conradus dux hac dere iratus obsisteret iis, Cruciferi possessiones ordinis Dobrinensis occupabant. Quo facto, concordia religionis Christianae propagandae causa simulata, in utraque parte in acerbissimam discordiam est mutata.

His omnibus factis papa omnes a. d. V. Idus Sept. 1234 bullas <sup>13)</sup> compositas ei in Livoniam videtur misisse et ab eo petiisse, ut se protinus conferret in Prussiam. (†)

<sup>11)</sup> Id. ibid. Nr. 18.

<sup>12)</sup> „Ceterum in eadem terra dispositioni sedis apostolicae reservamus, ut per ipsam . . . . ordinetur de construendis in ipsa ecclesiis et instituendis ibidem clericis, episcopis et praelatis aliis etc.“

<sup>13)</sup> Voigtii Cod. d. Pr. I., Nr. 36, 37, 38, 39, 41.

## VITA.

Joannes Nepomucenus Romanowski natus sum anno hujus aetatis XXXI. a. d. XI. Kal. Majias in pago magni ducatus Posnaniensis Smielowo, prope oppidum Żerkowo sito, matre Karolina, e gente Pomian Kielczewska, patre Antonio, quibus viventibus adhuc gaudeo et ut eos diutissime Deus optimus maximus conservet, ex animi mei sententia exopto precorque. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum rudimentis in Smielowiensi et Wrześniensi ludis instructus, anno 1843 Gymnasium Posnaniense ad S. M. Magdalenam adii, ubi in classem VI. receptus per IX. annos litterarum studiis incubui. Mense Septembri a. 1852 a. V. Ill. Brettner, regi a consiliis et rectore, cui me gratissimo semper animo praestare cupio, maturitatis testimonium accepi Berolinumque me contuli, et a V. Ill. Stahlio, fasces tunc tenente, civibus academiscis sum adscriptus. Per tres ibi annos saluberrimis fructus institutionibus, scholis interfui V. V. Ill. Ill. C. Ritter, Ranke, de Raumer, Boeckh, Curtius, Trendelenburg, Beneke, Hertz, Massmann, Wattenbach, Cybulski, de Richthofen, Michelet. Triennio praeterlapso, Viadrinam universitatem petii, et apud V. Ill. Betschler a. 1855 nomen dedi. Hic scholis Ill. Roepelli interfui, nec con inter sodales seminarii, ab ibso moderati, adscriptus sum.

Per totum studiorum meorum spatium imprimis studiis historicis et geographicis incubui, atque praecipue historiam Cruciferorum, praesertim quoad res Polonicas Lituanicasque spectat, diligentius perscrutari conabar. Qua in re atque

omnino in studiis meis Vir Ill. Roepell me summopere adjuvit.

Itaque jam mihi restat, ut et omnibus V. V. Ill. Ill., quorum scholis interfui, gratias agam quam maximas, et praecique Ill. Roepellio, qui mihi benignissimum studiorum ducem atque consultorem sese praestitit, nescio, quomodo gratiam debitam persolvam.

## THESES.

1. In operibus perficiendis vulgi existimatio nec curanda nec verenda est; sola nostrum conscientia dux nobis et moderatrix esse debet.

2. Errat Voigtius in libro, qui „Geschichte der Eidechsen-Gesellschaft“ inscriptus est p. 267 sequ. asserens bullam, quae apud Dreger Cod. Pom. Nr. 84; cet. exscripta est, episcopo Plocensi datam esse.


3. His nunc non assentior, qui societatem lacertarum idem fuisse putant, quod Polonicae Confoederationes fuerint.


4. Satius est studere perscrutandis atque percensendis commentariis, qui historiam nostram spectent, quam novae cuidam partitioni in historia nostra faciendae.

5. Terra Culmensis antiquitus semper pars Poloniae erat neque unquam provinciis veteris Prussiae adscribebatur.

6. Non solum ea, quae apud Długoszum Voigtio deridere placet, sed quaecunque majoris momenti, inde ab exeunte saeculo quatuordecimo de rebus Polonicis apud eum narrantur, argumentis firmari possunt.







Ts935

BOOKKEEPER 2008



BG0485815

